

CONSTITUTIONES

CONSTITUTIONES

CONGREGATIONIS

SACERDOTUM A SACRO CORDE IESU



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

1956



CONSTITUTIONES

CONGREGATIONIS

SACERDOTUM A SACRO CORDE IESU

PARS PRIMA

DE NATURA CONGREGATIONIS ET DE MODO AD IPSAM ACCEDENDI ET IN EA VIVENDI

CAPUT I

De fine Congregationis

1. – Congregatio Sacerdotum a Sacro Corde Iesu a Servo Dei Leone Ioanne Dehon fundata anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo est religio clericalis non exempta, iuris pontificii et in provincias divisa, constans clericis et coadiutoribus. Sodales emittunt vota simplicia obedientiae, castitatis et paupertatis ad normam praesentium Constitutionum servanda.

2. — § 1. Finis generalis Congregationis in eo est ut gloriam Dei sodaliumque sanctificationem promoveat per observantiam trium votorum simplicium obedientiae, castitatis et paupertatis, necnon et per observantiam propriarum Constitutionum.

§ 2. Finis vero specialis in hoc consistit ut sodales peculiarem devotionem erga Sacratissimum Cor Iesu profiteantur, ut huius Sacratissimi Cordis amoris respondere et iniurias, quibus se affici doluit, dignis obsequiis compensare studeant.

3. — In hoc ergo nostri sint toti impensi: exercitia, quae Dominus Noster Iesus Christus ipse sanctae Margaritae Mariae commendavit, magno animo perficiant, scilicet: Missam et Communionem reparatricem; sanctificationem primae feriae sextae cuiusvis mensis; exercitium Horae Sanctae qualibet feria quinta et adorationem Sacratissimi Cordis Iesu in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

4. — In ecclesiis aut oratoriis Congregationis quibus datum est asservare Sanctissimam Eucharistiam, publice fiat, de consensu Ordinariorum, etiam quotidie Sanctissimi Sacramenti expositio.

5. — Per mensem Iunium pia peragantur exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu et eius festum in omnibus domibus solemni-ter celebretur.

6. — Ut sodales Congregationis quam optime sanctificationem suam assequantur, virtutes et perfectionem Sacratissimi Cordis Iesu imitari satagant et omnia vitae spiritualis exercitia in spiritu amoris et immolationis amplectantur.

7. — Maximam denique impendant operam ut animas Christo Domino lucrifaciant, in eisque summum amorem summamque devo-tionem erga Cor Iesu suscitent.

8. — Eo fine, iuventuti praesertim clericali erudiendae, exercitiis spiritualibus dirigen-dis, sacris missionibus omnibusque sacri mi-nisterii operibus, quibus hominum praeser-tim humilis conditionis saluti consuli potest, magno cum zelo adlaborent. Item paroecias regendas praesertim in regionibus remotis su-scipere possunt et missionibus exteris libenter operam praestent, dummodo observantia et vita communis servari valeant. Obsequium arbi-trentur se praestare Cordi Iesu amplectendo cum docilitate filiali doctrinas et normas Vi-carii Christi easque zelo indefesso propagando.

CAPUT II

De spiritu amoris et immolationis

9. – Vita amoris et immolationis, qua scilicet nos facultatesque nostras beneplacito divino dedicamus et consecramus, ea est qua Congregatio proprie distinguitur; nulla enim meliori ratione vitam Christi Iesu, pro hominibus continuo immolatam, imitari possumus.

10. – Ut autem abundantius illa vita regnet in nobis, curent omnes ut quotidie orationes suas, labores, doloresque suos Deo in unione cum Sacratissimo Corde Iesu offerant, sacrificium, reparationem, laudem et amorem Domino exhibere intendentes.

11. – Hanc oblationem saepissime recolant et ante praecipuas vitae suae actiones renovare studeant.

12. – Quascumque molestias et afflictiones, quae sive ex eventis, sive ex vita communi oriuntur, ad laudem et honorem divinae Maiestatis accipiant et amplectantur.

13. – Haec omnia tamen non cadunt sub aliquo voto, sed nobis viam desiderio Cordis Iesu maxime consonam patefaciunt.

CAPUT III

De Titulari et Sanctis Patronis Congregationis

14. – Titularis Congregationis est Sacratissimum Cor Iesu, festumque titolare Solemnitas Sacratissimi Cordis Iesu; eius vero Patrona est Beatissima Virgo Maria, eamque nostri ut vitae suae exemplar adspiciant, praesertim quando dilecto Filio suo compatiatur.

15. – Quotannis festa Beatae Mariae Virginis cum gaudio et amore celebrent, et quotidie tertiam Rosarii partem in communi, vel saltem privatim, recitent.

16. – Sancto Ioseph devoti sint et illum ut patrem diligant; sanctum Ioannem Evangelistam qui supra pectus Domini in coena recubuit, peculiarem vitae spiritualis patronum habeant. Singularem quoque cultu prosequantur sanctum Michaellem Archangelum, sanctum Augustinum, sanctum Franciscum Salesium, sanctum Franciscum Assisiensem, sanctum Ignatium de Loyola, sanctum Franciscum Xaverium, sanctam Gertrudem, sanc-

tam Margaritam Mariam Alacoque, omnesque sanctos qui ardenti amore erga Cor Iesu claruerunt.

CAPUT IV

De membris Congregationis

17. — Sodales sacerdotes varia opera a Congregatione suscepta exercent. Ex illis Superiores et Officiales maiores vel minores, servatis tamen quibusdam conditionibus alibi enumerandis, sumuntur.

18. — Sodales coadiutores sacerdotibus iuvamen praestant et eorum quae ad vitam quotidianam spectant curam agunt et ita cum sacerdotibus meritorum apostolatus participes fiunt.

19. — Quicumque sint, iisdem Constitutionibus reguntur et vitam communem sub eodem regimine ducunt.

20. — Post professionem non datur transitus a clericis ad fratres coadiutores nec viceversa.

21. — Praecedentiae ordo sic stabiliatur:

1^o Superior generalis;

2^o Consultores generales iuxta electionum
seriem;

3^o Secretarius generalis;

4^o Oeconomus generalis;

5^o Procurator generalis apud Sanctam Se-
dem;

6^o Alii Officiales in Curia generali quorum
nominatio fit a Consilio generali;

7^o Superiores generales emeriti;

8^o Superiores provinciales iuxta promotio-
nem ad officium;

9^o Superiores vice-provinciales iuxta pro-
motionem ad officium;

10^o Consultores provinciales seu vice-pro-
vinciales iuxta nominationis ordinem;

11^o Oeconomi provinciales;

12^o Superiores regionales iuxta promotio-
nem ad officium;

13^o Consultores regionales iuxta nomina-
tionis ordinem;

14^o Superiores locales iuxta promotionem
ad officium, qui locum cedunt solummodo
Superiori generali, provinciali eorumque re-
praesentantibus;

15^o Magistri novitiorum;

16^o Consultores locales et Oeconomus localis, in propria communitate;

17^o Sacerdotes professi iuxta prioritatem in professione;

18^o Clerici professi iuxta sacrorum ordinum dignitatem et prioritatem in professione;

19^o Fratres coadiutores iuxta prioritatem in professione;

20^o Novitii clerici et coadiutores iuxta prioritatem in admissione.

Quodsi sodales aequales sint professione vel admissione, praecedat provectior aetate.

CAPUT V

De habitu religioso

22. — § 1. Habitus proprius Congregationis est vestis talaris cum cingulo ex lana nigra cum triplici nodo.

§ 2. Fratres coadiutores tam domi quam foris eadem veste qua clerici utantur.

§ 3. Professi et novitii sub vestibus scapulare Sacratissimi Cordis Iesu deferant; crucem vero professionis soli professi.

§ 4. Sodales vestem praescriptam defe-

rant cum domi tum extra domum, nisi iudicio Provincialis vel, si res urgeat, Superioris localis, gravis causa excuset.

CAPUT VI

De admissione in Congregationem

23. — Superiores omnia praestare debent quae in gravi negotio admissionis adspirantium prudentia exigit. In Congregationem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad Congregationis onera ferenda sit idoneus; et, si de promovendo ad ordines agatur, requiritur aptitudo ad curriculum studiorum peragendum.

24. — Ante admissionem ad Novitiatum adspirantes haec saltem testimonia exhibere tenentur:

1^o Testimonium Baptismatis et Confirmationis.

2^o Testimonium de moribus datum a Parrocho vel ab alio Sacerdote indubiae auctoritatis, nisi adspirans iam sufficienter cognitus sit.

3^o Testimonium de statu libero nisi aliunde constet.

4^o Testimonium medici quo constet adspirans aptus esse ad onera Congregationis sustinenda.

5^o Testimonium authenticum de studiis peractis.

6^o Litteras testimoniales Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sunt ultra annum moraliter continuum.

7^o Si admittendi sint illi qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore, firmatae iuramento rectoris aut Superioris. Litterae mittendae sunt directe ad Superiorem maiorem.

8^o Si admittendus sit clericus, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesis post ordinationem ultra annum moraliter continuum sit commoratus, salvo praescripto praecedenti sub 7^o.

9^o Religioso professo, ad nostram Congregationem ex apostolico indulto transeunti,

satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis.

25. — Praeter haec testimonia de iure requisita, possunt Superiores quibus ius est adspirantes in Congregationem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.

26. — Omnes qui de his rebus cognoverint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt.

CAPUT VII

De Postulatu

27. — § 1. Superioris provincialis est adspirantem ad postulatum admittere vel illum dimittere cum ad vitam religiosam non aptus iudicetur, quin teneatur rationes sive postulantibus sive eorum parentibus manifestare. Postulantibus semper liberum sit postulatum deserere.

§ 2. Receptio postulantium fit secundum ritum in Congregatione praescriptum et de ipsa in aliquo libro constet.

28. — § 1. Adspirantes clerici, antequam ad

novitiatum admittantur, postulatum per tres menses peragant; coadiutores vero per sex integros menses.

§ 2. Superior maior praescriptum postulatus tempus pro coadiutoribus potest prorogare; numquam prorogatio sex menses excedere potest.

§ 3. Pro clericis vero idem Superior iusta de causa dispensare potest super tempus pro illis praescriptum.

§ 4. Postulatus potissimum in domo novitatus peragatur sub directione Magistri novitiorum. Peragi tamen potest in alia Congregationis domo in qua disciplina secundum Constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati sodalis professi a Provinciali designati qui deulantibus directe Superiori provinciali relationem faciat. Postulantes vestem induant diversam a veste novitiorum.

29. — § 1. Durante postulatu adspirantes occupentur studio doctrinae christianae et generalium obligationum vitae religiosae atque peculiaris spiritus Congregationis.

§ 2. Magister novitiorum sub fine postulatus accuratam relationem Superiori pro-

vinciali transmittat de postulantium dotibus, de eorum profectu, etc. et iudicium proferat de aptitudine eorum ut ad novitiatum admittantur.

30. — Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo integros dies; et, iuxta prudens confessorii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem. Etiam adspirantes clerici haec exercitia peragere debent etiamsi super tempus postulatus dispensatum fuerit.

31. — § 1. Antequam adspirans ad postulatatum vel novitiatum admittatur, Superior convenire potest cum ipso vel cum eius parentibus vel tutoribus, de expensis solvendis pro victu et vestitu usque ad professionem.

§ 2. Omnia quae adspirans attulerit vel receperit apud Magistrum deponenda sunt nec ipse potest de ipsis rebus disponere vel eisdem uti nisi de licentia Superiorum ad instar illorum qui vota emiserunt.

§ 3. Quae adspirans attulerit quaeque usu non consumpta fuerint, si a Congregatione, non emissa professione, discedat, ei restituantur. Itaque instrumentum conficiatur, cum ab adspirante tum a Superiore sub-

scriptum in quo diligenter notentur pecunia, libri, mobilia bona omnia ab adspirante allata.

CAPUT VIII

De novitiatu

Art. I — *De requisitis ut quis in novitiatum admittatur*

32. — Firmo praescripto Cst. 27-30,

§ 1. Invalide ad novitiatum admittuntur:

1^o Qui a fide defecerunt et sectae acatholicae vel atheisticae adhaeserunt;

2^o Qui aetatem quindecim annorum non habent;

3^o Qui Congregationem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti; vel quos Superior eodem modo inductus recipit;

4^o Coniux durante matrimonio;

5^o Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;

6^o Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;

7^o Episcopus sive residentialis sive titu-

laris, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

8^o Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae diœcesis vel missionum, eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.

§ 2. Illicite, sed valide admittuntur:

1^o. Clerici in sacris constituti, inconsulto Ordinario loci aut eodem contradicente, ex eo quod eorum discessus in grave detrimentum animarum cedat, quod aliter vitari minime possit;

2^o. Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;

3^o. Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias Congregatio timere possit;

4^o. Filii qui parentibus, id est patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et patres quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

5^o. Ad sacerdotium in Congregatione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

6^o. Qui sunt ritus orientalis, sine licentia

scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

33. — Ius admittendi ad novitiatum pertinet ad Superiorem provincialem cum voto deliberativo sui Consilii, attenta sententia Consilii seu, si hoc desit, patrum domus probationis.

Art. II — *De novitiorum institutione*

34. — § 1. Domus novitiatus erigatur a Superiore generali cum voto deliberativo Consilii, praehabita licentia Sanctae Sedis. Nullus Ordinarii loci interventus pro erectione novitiatus in domo iam constituta expostulatur. Eaedem solemnitates requiruntur ad validam novitiatus translationem etiam in eadem civitate vel loco.

§ 2. Plures in eadem Provincia novitiatus domus designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto.

§ 3. Superiores in novitiatus ac studiorum domo ne collocent nisi religiosos qui sint ad exemplum religiosae observantiae studio.

35. — § 1. In fine exercitiorum, de quibus in Cst. 30, fit receptio novitiorum secundum

ritum in Congregatione praescriptum; ab hac die decurrere incipit tempus pro novitiatu praescriptum: dies vero receptionis in anno novitiatus ne computetur.

§ 2. Caeremoniae receptionis in novitiatum praest Superior maior aut Superior domus novitiatus vel ab alterutro delegatus.

§ 3. Nomen in Congregatione assumptum, si diversum est a nomine Baptismi, adhibeatur tantum intra Congregationem, numquam vero in actibus civilibus et ecclesiasticis qui pro foro civili valorem habent.

36. — Integer novitiatus peragatur in habitu praescripto, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant.

37. — Praeter alia quae in Cst. 32 § 1. ad novitiatus validitatem, requiruntur, novitiatus, ut valeat, peragi debet:

1^o Post completum decimum quintum saltem aetatis annum;

2^o Per annum integrum et continuum;

3^o In domo novitiatus.

38. — § 1. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit, si novitius, a Superiore iuxta Cst. 45 § 1. dimissus, e domo exierit, aut domum sine legitima

licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa, etiam si adfuerit Superiorum licentia.

§ 2. Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est cunctos dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superiore provinciali praescribi, sed supplementum non est ad validitatem necessarium.

§ 3. Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum nostrae Congregationis transferatur, novitiatus non interrumpitur, sed dies itineris ut dies absentiae computandi sunt cum effectibus in hac Cst. statutis.

§ 4. Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.

39. — Novitiatus pro clericis institutus non valet pro coadiutoribus nec viceversa.

40. — § 1. Novitiatus ab ea parte domus,

in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus, ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis, nisi in ecclesia seu oratorio et in refectorio pro actibus communitatis.

§ 2. Coadiutoribus autem novitiis locus separatus adsignetur.

41. — § 1. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur novitii animus studio nostrarum Constitutionum, piis meditationibus assidueque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitia extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. Coadiutores praeterea, diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.

§ 3. Novitii clerici ne destinentur concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus Congregationis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; novitii coadiutores fungi

possunt officiis eorum qui professionem emisserunt, attamen nonnisi secundas partes agentes, et quatenus ab exercitiis novitiatus non praepediantur.

42. — § 1. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis Congregationi concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt.

§ 2. Clerici ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur.

43. — In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis seu iuribus quovis modo, sive per se sive per alios, etiam proprios parentes, novitius renuntiaverit, eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est.

44. — Decreta admissione ad vota et ante primam professionem votorum, novitius de bonis suis temporalibus disponere debet iuxta Cst. 74.

45. — § 1. Novitius potest Congregationem libere deserere, aut a Superiore provinciali cum voto consultivo sui Consilii dimitti, quavis iusta de causa, quin Superior teneatur dimissionis causam dimisso patefacere.

§ 2. Exacto novitiatu, Superior provincialis novitios, quos idoneos iudicaverit, ad professionem admittat iuxta Cst. 47; si iudicentur non idonei a Congregatione dimittat; si dubium supersit sintne idonei potest a Superiore provinciali audito Consilio probationis tempus prorogari, non tamen ultra sex menses nec inscio Superiore generali.

46. — Singuli novitii petitionem Superiori provinciali faciant in scriptis ut ad vota religiosa emittenda recipiantur.

Clerici novitii in hac petitione expressis verbis testimonium ferant de sua ad statum religiosum et clericalem vocatione simulque firmum propositum pandant se militiae clericali in nostra Congregatione nuncupandi.

47. — Superioris provincialis est admittere novitios ad primam professionem, cum voto deliberativo Consilii sui, attentisque sententiis Consilii domus novitiatus.

Si domus novitiatus Consilium locale non habeat, satis est duos patres, scilicet Magistrum et alterum qui in eadem domo habitat, ad instar Consilii, sententiam Consilio provinciali notam facere.

48. — Per octo saltem solidos dies exercitiis

spiritualibus vacet is qui prima vota vel vota perpetua emissurus est, ut dignum fiat Deo holocaustum. Qui vero vota annua renovare debet, per triduum exercitiis spiritualibus sit intentus.

Art. III – *De Magistro novitiorum*

49. – § 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem et triginta, decem saltem ab annis a prima professione in Congregatione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et in sacerdotio constitutus.

§ 2. Si ob novitiorum numerum vel aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione in Congregatione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis.

§ 3. Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant.

50. — Magister novitiorum nominatur a Superiore generali cum consensu sui Consilii. Socius vero designatur a Superiore generali auditis consultoribus: uterque post praesentationem factam a Superiore provinciali eiusque Consilio.

51. — Magistri et socii munera nullam habent durationem praefinitam, sed prudenti iudicio Superioris generalis eiusque Consilii relinquuntur.

52. — Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatum regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus maioribus ac visitoribus. Ad disciplinam universam domus quod attinet, Magister Superiori est obnoxius.

Novitii potestati Magistri ac Superiorum Congregationis subsunt eisque obedire tenentur.

53. — § 1. Quoties in Consilio provinciali de novitiis aut de novitiatu agendum est, Magister interrogetur, qui oretenus vel scripto mentem suam de negotiis tractandis aperiat et opportunas informationes administret.

§ 2. Semel in trimestri Magister novitiorum

de agendi ratione, de indole, valetudine ceterisque uniuscuiusque novitii dotibus Superiori provinciali, semel in semestri Superiori generali relationem exhibeat.

CAPUT IX

De professione religiosa

54. — § 1. Ad validitatem cuiusvis professionis requiritur ut:

1^o Qui eam emissurus est decimum sextum aetatis annum expleverit si professio emittenda sit temporaria, vicesimum primum si perpetua; novitium validum peregerit; ad professionem admittatur a proprio Superiore maiore;

2^o Professio sit expressa; sine vi aut metu gravi aut dolo emissa; eaque a Superiore generali vel provinciali per se vel per delegatum recipiatur. Si delegatus a Superiore generali vel provinciali casu desit, ad professionem recipiendam a iure delegati censentur Superior domus in qua professuri legitime degant, et Magister novitiorum. Ipsi semper in singulis casibus subdelegare possunt.

§ 2. Ad validitatem vero professionis perpetuae requiritur insuper ut praecesserit professio temporaria per triennium.

55. — Novitius in periculo mortis constitutus ad professionem admitti potest a Superiore maiore aut a Superiore locali eorumve delegato. Ita professus fruitur iisdem indulgentiis, privilegiis, et spiritualibus gratiis quibus gaudent ceteri professi; si vero convalescat, professio vim habere desinit.

56. — § 1. Tam clerici quam coadiutores, post expletum novitiatum, ad professionem admissi, nulla interposita mora, vota simplicia nuncupant ad annum, per spatium trium annorum vel per longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet. Prima professio emittenda est in ipsa novitiatus domo.

§ 2. Tempus de quo in § 1, Superior provincialis audito suo Consilio, potest, renovata a sodali professione temporaria, iusta de causa prorogare non tamen ultra aliud triennium, id est non ultra sexennium a prima professione. Ipse vero Superior potest sodalem ad professionem perpetuam admittere,

servatis de iure servandis, antequam tempus prorogationis finiatur.

57. — In professione emittenda servetur ritus a S. Sede approbatus:

Coram Sanctissimo Sacramento in altari exposito, et omnibus praesentibus, fiat professio iuxta infrascriptam formulam:

I. Formula professionis:

Ad pedes Domini Nostri Iesu Christi provolutus, Immaculata Virgine Maria duce et auspice, sanctorum Patronorum totiusque Curiae caelestis auxilio fretus; ad gloriam et honorem amantissimi Cordis Iesu, ego N. N., vota simplicia (annualia vel perpetua) obedientiae, castitatis et paupertatis, secundum Constitutiones Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu, omnipotenti Deo et in manus tuas, Reverendissime Pater, emitto.

Licet miserrimus, adprecor te, omnipotens Deus, ut infinita bonitas tua haec mea vota sicut holocaustum in odorem suavitatis accipiat, mihi que gratiam, ut ea fideliter custodiam, largiri dignetur. Amen.

2. Formula renovationis votorum:

Coram Iesu Christo Salvatore meo, ad gloriam divini sui Cordis, ego N. N., omnipotenti Deo vota mea obedientiae, castitatis et paupertatis secundum Constitutiones Sacerdotum a Sacro Corde Iesu renovo.

58. – § 1. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora, sed eadem statim a singulis et publice seu coram Superiore eiusve delegato et duobus saltem testibus renovoventur.

§ 2. Superior provincialis ex iusta causa permittere potest ut renovatio votorum temporariorum parumper anticipetur, ita tamen ut anticipatio mensem non excedat, sed nulla de causa professio perpetua anticipanda est, ita ut triennium non amplius habeatur integrum; secus invalide emitteretur.

59. – Documentum emissae professionis vel renovationis ab ipso professo subscriptum servetur in tabulario domus vel provinciae.

Praeterea emissam professionem et Superior vel eius delegatus et vovens in libro proprio attestari debent.

60. — Exacto professionis temporariae tempore, sodalis ad normam Cst. 155, vel emittat perpetuam professionem vel ad saeculum redeat; sed etiam, durante tempore professionis temporariae, potest, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, dimitti a Superiore generali iuxta Cst. 162.

61. — Superioris provincialis est, audito Consilio, sodales tum ad vota renovanda tum ad professionem perpetuam admittere.

62. — § 1. Prima votorum professione emissa, vovens Congregationi uti ipsius membrum incorporatur potestati dominativae Superiorum subiectus.

§ 2. Emissione votorum publicorum professus fit persona sacra.

§ 3. Vota ante professionem emissa suspenduntur donec vovens in Congregatione permanserit.

§ 4. Facta professione vacant omnia officia quibus professus in saeculo fungebatur, post annum beneficia paroecialia, post triennium cetera.

§ 5. Professione religiosa poena temporalis peccatorum remittitur atque vovens indulgentiam plenariam lucratur.

63. — § 1. Professi a votis temporariis:

1^o Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis perpetuis; et si morte praeveniantur ad eadem suffragia ius habent.

2^o Eadem obligatione tenentur observandi regulas et Constitutiones.

3^o Voce activa et passiva carent.

§ 2. Professione perpetua facta, clericus sodalis ipso iure amittit propriam quam in saeculo habebat dioecesim et potest ad ordines maiores promoveri.

64. — § 1. Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur.

§ 2. Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte Congregationis consensus adhuc perduret.

§ 3. Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et sodalis renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur.

CAPUT X

De voto et virtute obedientiae

65. – Vi voti obedientiae professus adstringitur obligatione obediendi Superiori legitime praecipienti secundum Constitutiones.

66. – Materia circa quam Superior praecceptum imponere potest est quicquid directe vel indirecte ad vitam Congregationis pertinet, seu ad observantiam votorum et Constitutionum et ad prosecutionem finis Congregationis.

67. – § 1. Praecipere possunt vi voti obedientiae: Romanus Pontifex, Sacra Congregatio de Religiosis, Superiores interni, nempe: Capitula generalia et provincialia, Superiores maiores et minores seu locales qui communitatem ordinaria auctoritate regunt, eorumque vicarii dum revera munere vicarii funguntur.

§ 2. Qui potestatem habent praecipendi vi voti possunt eam delegare in singulis casibus.

§ 3. Raro, caute ac prudenter Superiores praecipiant in virtute sanctae obedientiae, et nonnisi gravi et proportionata de causa. Superiores vero locales praeceptis ex obedientia

imponendis se abstineant nisi necessitas urgeat, praeterea illico de praecepto imposito Superiorem maiorem certiolem reddant.

68. – Vi voti professus obedire tenetur cum legitimus Superior expresse praecipit formulam adhibens «in virtute voti seu Sanctae obedientiae», vel aliam aequipollentem. In casu obligatio est sub gravi.

69. – § 1. Ex virtute obedientiae religiosae professus tenetur obedire Superiori quovis modo praecipienti. Sufficit ut de ipsius voluntate praecipienda constet exterius manifestata, etsi ipse formulam praecepti formalis non adhibet, nec vi voti obedientiae obligare intendit. Professus qui in hoc casu obedire renuerit peccat contra virtutem obedientiae religiosae non vero contra virtutem religionis.

§ 2. Vi virtutis obedientiae professi obedire tenentur Superioribus ecclesiasticis in iis in quibus ab ipsis dependent ad normam iuris.

§ 3. Licet professis contra iussa Superiorum difficultates exponere; id tamen fiat modeste et humiliter, semper Deo antea consulto, et animo ad acquiescendum praeparato iis quae deciduntur.

70. — In perfecta obedientia sint admodum vigiles nostri et Superiores vices Christi gerere agnoscant; praeceptis non tantum attendant, sed consilio, desiderio aut beneplacito Superiorum laeto animo et hilari vultu acquiescere studeant, ita ut illorum obedientia sit vere sacrificium amoris et reparationis.

CAPUT XI

De voto et virtute castitatis

71. — Per votum castitatis professus se adstringit virtute religionis ad servandum caelibatum, et vi novi tituli virtutis semper religionis, ad abstinendum a quolibet actu, interno vel externo, castitatis contrario.

72. — Cultores Sacratissimi Cordis Iesu castitate maxima nitere decet. Ad hanc praeclarissimam virtutem integerrime servandam, auxilium divinum, sine quo deficit virtus, enixe implorent; sub protectionem Immaculatae Virginis Mariae saepius confugiant; ab omni inordinato affectu se custodiant; sensuum custodiam et mortificationem in omnibus exhibeant et ita magnum thesaurum habebunt in coelo et in terra.

CAPUT XII

De voto et virtute paupertatis

73. — Per votum paupertatis professi renunciant iuri licite utendi et disponendi de re quacumque temporali, pretio aestimabili, sine venia legitimi Superioris. Actus vero voto contrarii illiciti quidem sunt sed non invalidi.

74. — § 1. Ante primam votorum emissionem, novitius debet, ad totum tempus quo votis adstringetur, bonorum suorum, si quae possideat, administrationem cedere et administratorem quem voluerit, libere nominare. Cessio fieri potest etiam Congregationi accedente acceptatione Superioris maioris, cuius erit personam designare quae administrationem gerat.

§ 2. Praeterea novitius debet de usu, usufructu ac redditibus bonorum suorum libere disponere, etiam, si ipse velit, in favorem Congregationis; immo, statuere potest, ut fructibus et redditibus sors propria cumuletur.

§ 3. Ea cessio ac dispositio si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea

supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur non obstante professione emissâ. Idem valet qualibet de causa cessio et dispositio praetermittatur.

§ 4. Cessio administrationis ac dispositio de usu et usufructu non amplius valet in casu egressus e Congregatione, immo apponi poterit conditio quod sit quancumque revocabilis. Mutatio stantibus votis fieri nequit sine licentia Superioris generalis; licentia Sanctae Sedis requiritur pro mutatione faciendâ de notabili parte in favorem Congregationis.

§ 5. Dispositio de usu et usufructu ac designatio administratoris fieri potest per actum sive publicum sive privatum. Poterit etiam aliqua persona designari cui administrator rationem reddere tenetur.

75. — § 1. Novitius ante professionem testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condât. Hoc testamentum, si fieri possit, civiliter validum condi oportet nec semel factum licet mutari sine licentia Sanctae Sedis, quae tamen licentia non requiritur relate ad bona quae illi postea forte

obvenerint. Si tamen res urgeat, nec tempus suppetat ad Sanctam Sedem recurrendi sufficit licentia Superioris maioris vel, si nec ille adiri possit, Superioris localis.

§ 2. Quodsi ob defectum capacitatis vel alia de causa testamentum omissum fuerit, sine ulla venia fieri potest et debet adepta capacitate aut impedimento cessante non obstante religiosa professione emissa.

76. — § 1. Membra Congregationis conservant proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvo quae in Cst. 74, praescripta sunt.

§ 2. Professis non licet per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratuito abdicare nisi agatur de rebus modicis quas cum licentia sui Superioris abdicare possunt.

77. — Pro actibus dispositionis vel proprietatis qui a legibus civilibus praescribuntur sufficit Superioris localis licentia. Si tales actus propriorum bonorum alienationem important, requiritur licentia Superioris maioris; in casu autem necessitatis competens est Superior localis.

78. — Quidquid professus sua industria vel

intuitu Congregationis acquirit, Congregationi acquirit. Quare omnia quae sodali offeruntur ratione ministerii exerciti vel muneris quo fungitur, et quaevis aliae oblationes quae ex intentione donantis vel natura sua usui vel expansioni destinantur, si rationem patrimonii non habent, in proprietatem Congregationis transeunt, etiamsi professo intuitu personae obvenerint. Quae vero professo obveniunt ratione vitalitii vel pensionis vel alio titulo ad hoc ut ipsius vitae necessitatibus provideatur, Congregationis sunt quousque ipse Congregationis est sodalis. Superiores usualium bonorum, salva vita communi, usum et translationem de domo in domum permittere aut denegare possunt.

79. — Vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent. Congruit tamen, ut vestes stricti usus personalis separatim, etsi in communi custodia, serventur.

80. — Supellex qua sodales, permittentibus Superioribus, utuntur, paupertati conveniat quam professi sunt; nihil superflui in ea sit, nihil vero quod sit necessarium, iis denegetur.

81. — Si quis paupertatis votum transgressus sit sive recipiendo sive sibi adscribendo, sive elargiendo aliquid pretio aestimabile absque Superioris licentia, severe reprehendatur et corrigatur.

82. — Ne in magnis deficient nostri in minimis fideliter se gerant; concessis ad usum ne nimis adhaereant, neve commodiora cum anxietate requirant, neve de deficientibus querantur. Illi enim qui divino Cordi Iesu placere volunt, perfectae paupertati toto corde studere debent.

CAPUT XIII

De sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae

Art. I — De sacramento Poenitentiae

83. — Sodales omnes, atque etiam novitii et postulantes, semel saltem in hebdomada ad sacramentum Poenitentiae fideliter accedant.

84. — § 1. In singulis domibus a Superiore provinciali deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati.

§ 2. Superiores, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure

servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua et motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

§ 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se vel per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.

85. — Salva obligatione confitendi singulis hebdomadis apud confessarios designatos si quis ad suae conscientiae quietem confessarium adeat, etsi inter designatos non recensitum, confessio valida et licita est.

86. — Salvo praescripto Cst. praecedentis in novitiatu:

1^o Pro novitiorum numero, unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, qui in ipsa novitiatus domo commorentur;

2^o Praeter confessarios ordinarios designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;

3^o Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius ad quem omnes accedant, saltem benedictionem recepturi.

87. — Magister novitiorum eiusque socius,

Superior scholae apostolicae collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgente causa in casibus particularibus sponte id petant.

88. – Superiores omnes districte vetantur subditos quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; immo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, iis dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.

89. – Quando agitur de sodali ad professionem vel ordines admittendo vel e Congregatione dimittendo, numquam votum confessoriorum exquiratur.

Art. II – *De sanctissimo Eucharistiae Sacramento*

90. – Erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum omnes eo agantur animo, ut iniurias, quae divino Cordi Iesu irrogantur, reparare satagant.

91. — Quotidie sacerdotes ad intentionem a Superiore domus praefixam Sacrum faciant; alii pie intersint.

92. — § 1. Semel in mense quilibet sacerdos Missam secundum suas intentiones applicare potest;

§ 2. Pro singulis fratribus coadiutoribus bis in anno sacrificium Missae applicetur ad eorum intentionem, non accepto stipendio.

93. — Omnes sacerdotes, saltem semel in mense, die assignato, Missam reparatricem celebrent.

94. — § 1. Inter suos subditos Superiores promoveant frequentem, imo etiam quotidianam Sanctissimi Corporis Christi receptionem.

Frequens et quotidiana Communio valde quidem commendatur sed non praecipitur; relinquitur ideo uniuscuiusque devotioni ac pietati recte ac solide, ab iis ad quos pertinet, informatae.

§ 2. Si autem post ultimam sacramentalem confessionem sodalis communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patriverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest

eum, ne ad sacram Communionem accedat, prohibere.

95. – Omnibus sodalibus congruum temporis spatium concedatur pro praeparatione ad Missam vel sacram Communionem itemque pro gratiarum actione.

96. – Praeter alia ordinaria pietatis exercitia quilibet sodalis quotidie per dimidiam horam Adorationi Eucharisticae vacabit.

CAPUT XIV

De exercitiis pietatis

97. – Omnes quotidie per dimidiam horam orationi mentali incumbant, necnon per congruum tempus lectionem spiritualem faciant.

98. – Diversis horis diei mysteriis vitae absconditae, agoniae et mortis Christi modo Congregationis proprio sese uniant.

99. – Quotidie suam quisque conscientiam discutiat.

100. – Quotannis sodales exercitiis spiritualibus per sex integros dies vacent; prima feria sexta mensis aut alio die opportuno recollectio spiritualis fiat; qualibet feria quinta omnes devote Horam Sanctam peragant.

101. – Spiritus liturgicus et observantia caeremoniarum foveantur, maxime in domibus formationis, et ubi commode fieri potest, aliqua pars Officii in communi recitetur.

102. – Ne nimis multiplicentur exercitia pietatis a communitate peragenda. Nec licet introducere devotiones ab Ecclesia non approbatas publice exercendas; neque res novas quas Superiores non ante probaverint.

CAPUT XV

De mortificatione et poenitentiis

103. – § 1. Praeter dies abstinentiae et ieiunii lege communi ab Ecclesia statutos ordinarie qualibet feria sexta itemque in pervigilio festi Sacratissimi Cordis Iesu ieiunent omnes qui a Superiore dispensationem non acceperint; quo in casu aliud pium opus iis imponatur.

§ 2. Ieiunium a Constitutionibus impositum non obligat:

- 1^o Festis primae et secundae classis;
- 2^o Festis Patronorum Congregationis;
- 3^o Toto tempore paschali.

§ 3. Tam in ieiunio Ecclesiae quam in

iis quae solius Constitutionis sunt, licet uti indultis et dispensationibus a Sancta Sede vel ab Ordinario loci concessis; eo magis consuetudinibus loci.

104. – Poenitentias, quae profectui spirituali favent, unusquisque libenter et cum gaudio amplectatur, prudenter tamen et obedientia duce.

105. – § 1. Pro actibus publicis externae mortificationis seu poenitentiae non praescriptis in Constitutionibus, sodales indigent licentia Superioris. Actus vero privatim exercendi fiant iuxta normas directionis spiritualis.

§ 2. Si vero agitur de privatis exercitiis poenitentiae, quae valetudinem, observantiam religiosam et officiorum impletionem afficere possint, Superior habet ius interveniendi, eiusque licentia requiritur.

106. – Semel in mense, pro novitiis vero saltem qualibet hebdomada, fiat capitulum culparum. Culpaere mere internae ne accusentur, sed ad externas transgressiones accusatio restringatur.

107. – Poenitentiae in capitulo culparum imponendae, discretionis spiritu opportune temperentur.

108. – Sodales legem vitae communis Constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur a Superiore maiore, servatis de iure servandis, etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii.

CAPUT XVI

De obligationibus et privilegiis

109. – Obligationibus quibus clerici iure communi adstringuntur, etiam sodales omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

110. – Sodales omnes et singuli, Superiores aequae ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum Constitutiones vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

111. – § 1. In omnibus domibus clausura servetur, in quam nemo alterius sexus admittatur, nisi personae de quibus in can. 598 § 2, aliaeque quas ex iustis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint.

§ 2. Si domus religiosa adnexum habeat convictum pro alumniis internis vel alia opera Congregationis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, sodalium habitationi reservetur, clausurae legi subiecta.

112. – Collocutorium, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet.

113. – Omnes quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent, ne, alienis invisentibus, inutili colloctione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur.

114. – In relationibus externis ita sese gerant omnes ut Christo deditos decet, nihil aliud intendentes quam gloriam Dei et salutem animarum.

115. – Omnino sodales se abstineant a negotiis saecularibus tractandis, nec aliqua, licet pietatis causa, curare promittant.

116. – In colloquiis cum externis leges prudentiae, modestiae et caritatis fideliter serventur.

117. – § 1. Nemini liceat, absque Superioris licentia, domo exire et apud saeculares refectionem sumere aut hospitalitatem accipere, nisi itineris causa et in locis ubi domus Congregationis non reperiantur.

§ 2. Superioribus fas non est permittere ut subditi extra domos Congregationis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius; pro absentia quae sex menses excedat, nisi causa studiorum aut ministerii sacri intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur.

118. — § 1. Sodales possunt scribere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Consultores tam generales quam provinciales, ad Capituli generalis et provincialis vocales quoscumque a die convocati Capituli, ad Ordinarium loci quatenus ei subiecti sint, et ab istis omnibus litteras item nemini inspiciendas recipere.

§ 2. Litterae a sodalibus mittendae et ad ipsos missae tradantur Superiori locali, qui eas sua discretione legere poterit. Qua facultate cum magna prudentia et caritate utatur, secreto servato.

119. — § 1. Silentium observandum est in tota domo et ordinarie in refectorio tempore communium refectionum. Strictius vero ser-

vetur post preces serotinas usque ad diem insequentem post meditationem.

§ 2. Tempore prandii et coenae ordinarie lectio fiat ex aliquo libro pio et utili.

120. — Ii quibus concreditur ministerium cum cura animarum; Superiores; professores sacrae theologiae, iuris canonici, et philosophiae in domibus studiorum; promovendi ad subdiaconatum; confessarii et sacri concionatores professionem fidei ad normam can. 1406 emittant.

121. — Curent Superiores ut sodales a se designati, praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel a parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati vel utilitati, tum intra tum extra proprias ecclesias vel oratoria publica, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent.

122. — § 1. Si ecclesia, apud quam residet communitas, sit simul paroecialis, servetur, congrua congruis referendo, praescriptum can. 415.

§ 2. Advigilent Superiores ne divinatorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii expla-

nationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat; iudicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet.

123. — § 1. Optandum ut in Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoribus publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat; quod si loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur etiam sodales in suis ipsorum ecclesiis.

§ 2. Praeter praescriptum § 1 praecedentis, si loci Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra solemnia indicat, sodales omnes obedire debent.

124. — § 1. Congregatio iis tantum gaudet privilegiis quae in Codice Iuris Canonici continentur, vel a Sancta Sede directe eidem concessa fuerint.

§ 2. Sodales, etsi non clerici, ac novitii fruuntur clericorum privilegiis iure communi statutis.

§ 3. In omnibus in quibus sodales subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri.

CAPUT XVII

De studiis

125. — § 1. Quaelibet provincia et vice-provincia, in quantum fieri possit, habeat studiorum sedem a Superiore generali cum suo Consilio approbatam.

§ 2. In studiorum domo vigeat perfecta vita communis. Superiores sedulo invigilent ut ea quae praesertim quoad exercitia pietatis pro omnibus praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur.

§ 3. Si provincia studiorum domum rite instructam habere nequeat, aut si quam habet, adire, Superiorum iudicio, difficile sit, sodales, studiorum causa mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae aut Religionis, vel ad scholas Seminarii episcopalis vel ad publicum catholicum athenaeum.

§ 4. Sodalibus, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam Congregationis domum se recipiant,

vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquod institutum virorum, vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacerdos praesit, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit.

126. — § 1. Toto studiorum curriculo sodales committantur speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus, qui eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus.

§ 2. Praefectus vel Magister spiritus qui a Consilio provinciali nominandus est, iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in Magistro novitiorum requiruntur.

127. — § 1. Sodales postquam in inferioribus disciplinis rite instructi fuerint, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium doctrinae divi Thomae inhaerentes, diligenter incumbant, secundum Instructiones Apostolicae Sedis.

§ 2. Professores philosophiae et sacrae theologiae ceterique magistri domus studiorum praesentantur a Consilio provinciali et nominantur a Superiore generali, audito Consilio.

§ 3. Studiorum tempore, magistris et alumnis officia ne imponantur quae magistros a munere implendo aut discipulos sive a schola frequentanda sive a studio quoquo modo impedian; Superior autem provincialis, et, in casibus particularibus, locales quoque Superiores possunt pro sua prudentia eos a nonnullis communitatis actibus eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videtur.

§ 4. Nemo sodalis ad laicas Universitatum facultates destinetur, nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore, ut sua agendi ratione Congregationi honorem tam ingenii vi ac perspicacia quam sanctitate morum adiiciat, servatis Instructionibus Sanctae Sedis.

128. — Sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superiore provinciali gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam, vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis.

129. — Firmo praescripto can. 131, in domo saltem formata minimum semel in mense, habeatur conferentia de re morali et liturgica, cui, si Superior provincialis opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant aut illius cursum expleverunt et in domo degunt, assistere debent, nisi Superior magis expedire iudicaverit conferentiam agere specialem coram solis studentibus cursus theologici.

130. — Sodales etiam operibus litterariis et artibus pro viribus incumbant. Meminerint tamen licitum non esse sine praevia revisione et approbatione Superioris maioris et licentia Ordinarii libros vel scripta quaelibet edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari. Omnes fructus e scriptis quomodocumque editis vel e rebus artis provenientes, non sodalis ipsius sed Congregationis dominii sunt; cuiuslibet libri vel libelli typis impressi, si fieri potest, exemplar mittendum est ad proprium Superiorem provincialem et ad Superiorem generalem.

CAPUT XVIII

De sacris Ordinationibus

131. — § 1. Superior provincialis dare potest suis subditis litteras dimissorias ad primam tonsuram et ad ordines minores, emissa prima professione; Superior generalis vel de ipsius delegatione Superior provincialis, ad ordines maiores, emissa professione perpetua.

§ 2. Superior suis litteris dimissoriis non solum testari debet promovendum requisitam professionem emisisse et domui religiosae sibi subditae adscriptum esse, sed etiam testari de studiis peractis deque aliis ad normam sacrorum canonum et Instructionum Sanctae Sedis requisitis.

§ 3. Superior provincialis notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi.

132. — Episcopus ad quem Superior litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, cui adscripti sunt ordinandi.

133. — § 1. Tunc tantum Superior ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui caractere episcopali polleat.

§ 2. Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio.

134. — Caveant Superiores ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus sit afuturus.

135. — § 1. Superior provincialis, antequam alumnos suos ad subdiaconatum admittat ab ipsis exigere debet testificationem de libera voluntate suscipiendi ordines, iuxta Instructiones Sanctae Sedis, manu propria candidati subscriptam et iurisiurandi fide coram Superiore firmatam.

§ 2. Quilibet promovendus ad ordinationes debet praeivium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum vel quo-

que in aliis tractationibus et omnes alias conditiones implere a iure praescriptas.

§ 3. Pro alumniis promovendis ad sacros ordines, titulus canonicus est *Mensae communis* vel *Congregationis*.

136. — § 1. Admissio alumnorum ad ordines pertinet ad Superiorem provincialem cum voto deliberativo sui Consilii. Antequam ordinandi Consilio provinciali praesentantur, Superior una cum professoribus domus studiorum praeviam facit inquisitionem, seu scrutinium, iuxta Instructiones Sanctae Sedis; deinde Consilii localis est iudicare et sententiam suam suffragiis secretis manifestare.

§ 2. Superior provincialis potest suis subditis ex quavis canonica causa, occulta quoque, ascensum ad ordines interdicere vel differre, salvo recurso ad Superiorem generalem vel ad Sanctam Sedem.

§ 3. Idem Superior, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi sodali exercitium sacri ministerii.

137. – § 1. Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum.

§ 2. Nemo ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum; subdiaconatus ne conferatur nisi exeunte tertio cursus theologici anno; diaconatus, nisi incepto quarto anno; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni.

§ 3. Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem iure canonico determinatam.

CAPUT XIX

De infirmis

138. – Singulis in domibus, in quantum fieri poterit, pars quaedam vel saltem aliquod cubiculum infirmis curandis destinetur.

139. – Unus vel plures sodales, caritate et aptitudine praecellentes, designentur, qui infirmis omnia obsequia et servitia praestent.

Ipsorum, una cum Superiore, erit omnia necessaria alimenta, et medicamenta infirmis subministrare. Absque Superioris consensu nemo medicinam sumat vel medicum arcesat.

140. — Statim cum prudens esse videatur, medicus vocetur et omnia secundum eius praescripta fiant.

141. — Nec minore cura etiam spiritualia alimenta infirmis praestentur. Hinc tempestive confessarius vocetur, et quidem ille quem infirmus maluerit; et toties adsciscatur quoties infirmus desideret, eique semper praesto sit. In periculo mortis, memoretur quemlibet sacerdotem etsi pro confessionibus non approbatum posse a quibusvis peccatis absolvere. Pro Communionem administranda stetur pio infirmi desiderio.

142. — Ingravescente morbo, tum infirmarius, tum Superior, curam habeant ut etiam sacramentum extremae unctionis tempore opportuno infirmis administretur.

143. — § 1. Ius et officium Superioris est, per se vel per alium, aegrotis professis, novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis,

eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi.

§ 2. Hoc ius et officium competit Superiori etiam quod attinet ad professos et novitios extra domum aegrotos.

144. — Instante morte, sacerdos adsit qui curam habeat iuvandi morientem, iuxta modum in Rituali Romano descriptum.

CAPUT XX

De defunctis

Art. I — *De funeribus*

145. — § 1. Professi sodales ac novitii, defuncti cum sint, transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem Congregationis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint; ius autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem semper pertinet ad Superiorem religiosum.

§ 2. Si longe moriantur a domo ita ut in ecclesiam suae domus aut saltem Congregationis nequeant commode asportari, fune-

randi sunt in ecclesia paroeciae, ubi decedunt, nisi novitii aliam ecclesiam ad funus elegerint, et salvo Superioribus iure de quo in can. 1218, § 3.

§ 3. Quae de novitiis dicta sunt §§ 1 et 2, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus; qui tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandi sunt sicut ceteri fideles.

146. — Ecclesiam funeris aut sepulturae coemeterium eligere prohibentur professi, nisi sint Episcopi.

Art. II — *De suffragiis pro defunctis*

147. — § 1. Statim cum novitius vel professus obierit, Superior domus Provincialem moneat, qui sine mora Superiorem generalem et Superiores locales provinciae suae de morte fratris certiores faciat, ut pro eo consueta suffragia fiant. Superior vero generalis alios Provinciales moneat ut debita suffragia in propriis provinciis fiant.

§ 2. In obitu sodalium qui nulli provinciae

adscripti erant, vel provinciae perpaucorum sodalium, ipse Superior generalis paterna sollicitudine curabit, ne congruis priventur suffragiis.

148. — Quando novitius vel professus ex hac vita migraverit, pro eo in unaquaque domo per octo dies recitetur Ps. *De Profundis*; pro pluribus sodalibus eodem tempore defunctis sufficit una recitatio Psalmi cum respectivis orationibus. Insuper quilibet sacerdos respectivae provinciae duas Missas celebrabit, et, ubi commode fieri potest, fiat una missa lecta vel cantata coram communitate; qui non sunt sacerdotes eadem intentione bis sacram Communionem suscipere curent et bis tertiam partem rosarii pro defuncto recitent.

149. — § 1. Pro Superiore generali per octo dies officium defunctorum in unaquaque domo recitetur, et sex Missae a quolibet sacerdote celebrentur semelque dies anniversaria in communitate recolatur; alii sex vicibus sacram Communionem suscipere curent.

§ 2. Pro defuncto ex-Superiore generali in tota Congregatione a quolibet sacerdote

duae Missae celebrentur et alii bis sacram Communionem suscipere curent.

150. — § 1. Pro Officialibus maioribus Congregationis, id est pro iis quorum electio ad Capitulum generale pertinet, per tres dies recitetur Officium defunctorum et tres Missae a quolibet sacerdote applicentur; qui non sint sacerdotes ter eadem intentione ad sacram Synaxim accedere curent. Eadem suffragia fiant pro Provinciali in sua cuiusque provincia. pro Superiore locali in sua domo et pro Magistro novitiorum in domo novitatus; in aliis provinciis vel domibus fiant communia suffragia.

§ 2. Pro defuncto ex-Officiali generali, servatis suffragiis in sua provincia ad normam Cst. 148 persolvendis, in reliqua Congregatione a quolibet sacerdote una Missa celebretur et alii semel sacram Communionem suscipere curent.

151. — Infra hebdomadam post Commemorationem omnium fidelium defunctorum, sacerdotes Missam, alii vero sacram Communionem et tertiam partem rosarii pro defunctis Congregationis semel applicabunt.

152. — § 1. Quotidie recitetur in communi

pro fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis Ps. *De Profundis*.

§ 2. In qualibet domo fiat pridie diei anniversarii sodalium defunctorum memoria recitando necrologium Congregationis.

153. — In morte Summi Pontificis celebretur una Missa in omnibus domibus; mortuo vero Episcopo loci in domibus dioecesis pariter una Missa applicetur.

154. — Quotannis in unaquaque domo saltem una Missa pro benefactoribus defunctis applicetur.

CAPUT XXI

De egressu e Congregatione

155. — Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest Congregationem deserere; pariter Congregatio ob iustas et rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certe probetur eam ante professionem dolose fuisse silentio praeteritam aut dissimulatam. Si in ordinibus

maioribus constitutus vota non renovaverit, ad suam dioecesim redire debet. Superiores non tenentur sodali a votis excluso exclusionis causas manifestare, nec ipsi competit ius recurrendi nisi in suspensivo.

156. — Indultum exclaurationis et saecularizationis unice Sedes Apostolica dare potest.

157. — Professus a votis perpetuis in maioribus ordinibus constitutus ad obtinendum indultum saecularizationis, Episcopum benevolum receptorem invenire debet. Secus nequit sacros ordines exercere, nisi Sedes Apostolica aliter providerit.

158. — § 1. Apostata a Congregatione dicitur professus votorum perpetuorum, qui e domo Congregationis illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui etsi legitime egressus, eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat, non redit.

§ 2. Malitiosus hic animus iure praesumitur, si professus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit.

§ 3. Firma Cst. 160, apostata a Congregatione ipso iure incurrit in excommunicatio-

nem Ordinario loci in quo commoratur reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus Congregationis est privatus, et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpaе a Superioribus puniri debet, exercitiis spiritualibus et aliis poenitentiis salutaribus emendandus et habilitate ad officia privandus est.

159. — § 1. Fugitivus est qui sine Superioris licentia domum Congregationis deserit cum animo ad Congregationem redeundi.

§ 2. Fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in Congregatione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris; cum autem redierit, idem Superior pro gravitate culpaе poenas infligat.

§ 3. 1^o Apostata et fugitivus ab obligatione Constitutionum et votorum minime solvuntur et debent sine mora ad Congregationem redire. 2^o Proprii Superioris provincialis est eos sollicite requirere, et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere, servatis praescriptis Cst. 94, § 2, et 136, § 3.

CAPUT XXII

De dimissione sodalium

160. — § 1. Ipso facto habendus est tamquam legitime dimissus sodalis:

1^o Qui publice apostasiam a fide catholica professus fuerit;

2^o Qui fugam arripuerit cum muliere;

3^o Qui attentaverit aut contraxerit matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile.

§ 2. In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo Consilio emittat declarationem facti, quae tamen non requiritur ut dimissio incurratur; curet autem probationes facti collectas in domus registis asservare.

161. — In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminenti, sodalis statim potest a Superiore provinciali cum consensu sui Consilii, vel etiam, si periculum sit in mora et non adsit tempus adeundi Superiorem provincialem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito, ita tamen ut per

Superiorem maiorem res Sanctae Sedis iudicio sine mora subiiciatur.

162. — Professum a votis temporariis dimittere potest Superior generalis, praevio voto respectivi Consilii provincialis vel vice-provincialis, cum consensu suorum Consultorum per secreta suffragia manifestato; qui omnes graviter eorum onerata conscientia, sodalem dimittere nequeunt, nisi servatis quae sequuntur:

1^o Causae dimissionis, sive ex parte Congregationis se habeant sive ex parte sodalis, debent esse graves;

2^o Defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit non vero infirmitas, nisi certo constet eam ante professionem dolose fuisse silentio praeteritam aut simulatam;

3^o Licet causae Consilio generali certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formali iudicio comprobentur. At sodali semper manifestari debent, data omni respondendi facultate, eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur;

4^o Contra dimissionis decretum datur so-

dali recursus cum effectu suspensivo intra decem dies ab intimatione decreti ad Sedem Apostolicam.

163. – Sodalis sic dimissus ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosiis, salvo onere ordini maiori adnexis si sit in sacris, et firmo praescripto Cst. 155; clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso reducitur ad statum laicalem.

164. – Ut professus a votis perpetuis dimitti possit, praecedant necesse est tria delicta cum duplici monitione ac defectu emendationis, ad normam sacrorum canonum.

165. – § 1. Haec si constiterint, Superior generalis cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adiunctis, deliberet num locus sit dimissioni.

§ 2. Si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit, Superior generalis dimissionis decretum ferat; quod tamen ut suum sortiatur effectum, indiget Sedis Apostolicae confirmatione.

§ 3. Sodali ius est suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt.

166. – Professus a votis perpetuis e Con-

gregatione dimissus, si sit in sacris, non liberatur ipso facto a vinculo votorum, sed dispensatio a Sancta Sede obtineri debet, servatis praeterea praescriptis can. 641, 670-672.

Si tamen non sit in sacris, ipso facto dimissionis liberatur a votis.

167. — Qui e Congregatione egreditur sive voluntarie, sive coacte, sive ante sive post professionem perpetuam, nihil potest repetere ob quamlibet operam Congregationi praestitam.

PARS ALTERA

DE REGIMINE CONGREGATIONIS

CAPUT I

De Superioribus

168. — Omnes sodales, tamquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici, cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae. Reverentiam et debitam ad normam iuris obedientiam praestent Ordinariis locorum.

169. — § 1. Suprema auctoritas in tota Congregatione modo ordinario exercetur a Superiore generali cum suo Consilio, et modo extraordinario a Capitulo generali.

§ 2. Superior generalis potestatem obtinet in omnes Provincias, domus, sodales Congregationis, exercendam iuxta Constitutiones; alii Superiores ea gaudent intra limites sui muneris.

170. – Superior generalis, Superiores provinciales et vice-provinciales eorumque actu vicarii sunt Superiores maiores. Praeter Superiores maiores habentur Superiores locales qui praesunt domibus.

171. § 1. Superiores et Capitula, ad normam Constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos.

§ 2. Superior quilibet severe prohibetur quominus in causis ad Sanctum Officium spectantibus se intromittat.

§ 3. Superiores maiores nequeunt ad arbitrium sodalibus vocem activam et passivam concedere, nec adimere.

§ 4. Omnis Superior debet notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis, aliusque legitimae auctoritatis, inter subditos suos promovere.

§ 5. Superiores commorentur in sua quisque domo nec inde discedant, nisi ad normam Constitutionum.

CAPUT II

De Capitulo generali

Art. I — *De convocatione et membris Capituli*

172. — § 1. Capitulum generale convocandum est quoties electiones generales faciendae sunt, scilicet:

1^o Ordinarie, post elapsum tempus pro officio Superioris generalis statutum, id est, quovis duodecimo anno.

2^o Extraordinarie, quando propter mortem Superioris generalis, vel eius resignationem vel depositionem, tempore officii sui secutam, electio necessaria evadit.

§ 2. In Capitulo electivo cum electiones necessariae perficiantur, tum etiam de gravioribus totius Congregationis negotiis tractetur.

§ 3. Convocandum est insuper Capitulum tempore medio inter duo Capitula electiva, pro solis negotiis.

173. — Locus et tempus celebrandi Capituli generalis a Superiore generali aut a Vicario, audito prius Consilio, determinate assignentur.

174. — Pro convocando Capitulo generali extraordinario ex alia quacumque causa ac supra indicata, requiritur licentia Sanctae Sedis.

175. — § 1. Sex mensibus ante Capitulum fiat convocatio per litteras circulares et quidem a Superiore generali, si agatur de ordinario Capitulo electivo aut de Capitulo negotiorum, a Vicario autem, si de Capitulo electivo extraordinario; quo casu sex menses computandi sunt ab habita notitia vacationis officii.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competente Superiore irritari dummodo iuridice constet recursum saltem intra tri-duum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla.

§ 4. Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint.

176. — Convocatione legitime secuta ius eligendi et de negotiis tractandi pertinet ad

eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia, non solum per epistolam sed etiam per procuratorem.

177. – Omnes ad Capitulum legitime convocati, eidem assistere tenentur, nisi iustam excusationem habeant.

178. – § 1. Capituli generalis membra sunt:

1^o Superior generalis;

2^o Consultores generales;

3^o Secretarius generalis;

4^o Oeconomus generalis;

5^o Procurator generalis apud Sanctam Sedem;

Hi omnes de Capitulo sedenti manent, licet non reeligantur

6^o Superiores generales emeriti;

7^o Superiores provinciales cum duobus delegatis;

8^o Vice-provinciales et unus delegatus electus ad normam Capituli provincialis;

9^o Delegati coetuum nullius provinciae.

§ 2. Domus et missiones nullius provinciae a Consilio generali uniantur in coetus electorum; eiusdemque Consilii erit determinare quot delegati, ratione habita numeri

membrorum, ex illis coetibus Capitulum generale adeant. Modus eligendi erit ad normam Cst. 260.

§ 3. Si quis e Superioribus sub § 1 enumeratis legitime impeditus fuerit, Capitulum adeat primus eius Consultor, cuius, si ipse electus fuerit delegatus, in locum veniat substitutus.

179. — Salvis aliis conditionibus iure requisiti:

1^o Voce activa et passiva gaudent sacerdotes votorum perpetuorum qui quartum theologiae annum rite absolverunt;

2^o Activa voce tantum ceteri clerici a votis perpetuis.

180. — Sodales episcopali dignitate aucti per totam vitam voce activa et passiva carent; Vicarii vero, Praefecti et Administratores apostolici, si non sint episcopi, durante munere tantum; attamen ad officium in Congregatione postulari possunt.

Art. II — *De normis electionum*

181. — § 1. In omnibus suffragiis dandis id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis

nullis, placuerit parti absolute maiori eorum, qui suffragium ferunt, aut post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio, quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior prima professione et, aequali professione, senior aetate.

Electio tamen Superioris generalis regitur normis Cst. 193.

§ 2. Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

§ 3. Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.

§ 4. Si quod dubium exoriat de validitate scrutinii, Capitulum ipsum decadat num dubium sit fundatum; quod si ita esse iudicaverit, scrutinia ab ultimo certe valido iterentur.

§ 5. Electiones fieri etiam possunt per compromissum vel per postulationem ad normam Sacrorum Canonum.

182. — § 1. Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1^o Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2^o Secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censentur.

183. — Caveant omnes ne directe vel indirecte suffragia procurent, tam seipsis tam aliis.

184. — § 1. In Capitulo ordinario Superior generalis, qui officio cedit, Praesidis munere fungitur usque ad electionem novi Superioris generalis factam. In Capitulo medio inter duo Capitula electiva, Superior generalis, et in Capitulo extraordinario electivo, Vicarius praesidet.

§ 2. Primus Consultor vel alius ex Consultoribus secundum ordinem vices gerit Superioris generalis quocumque modo impediti ad Capitulum praesidendum.

185. — Initio Capituli examinandum est num singuli ius sedendi habeant; et si quod de eo exoriatur dubium, ab omnibus praesentibus, eo excepto de quo agitur, per secretum scrutinium decidatur.

186. — Ante omnia eligendi sunt, a vocalibus et ex illis, duo scrutatores, qui una cum Praeside iusiurandum interponant de munere fideliter implendo et de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione. Eligatur etiam secretarius Capituli. In his electionibus sufficit numerus votorum relative maior.

187. — § 1. Scrutatores in urnam colligant schedulas eligentium, coram Praeside eas numerent, et cum numero eligentium conferant; si huic numero respondeant, eas explicent, et alta voce coram omnibus legant.

§ 2. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 3. Suffragia peracto unoquoque scrutinio statim, vel, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, post sessionem comburantur.

188. — Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, duo scrutatores illum adeant, ut eius schedam, ab eo ipso scriptam — vel si ipse scribere non possit, a scrutatore scriptam eo assentiente — in urnam suscipiant et ceteris uniant.

189. — Secretarius omnia Capituli acta, tum electionum, tum negotiorum, fideliter in scriptis redigat: quae saltem a Praeside, scrutatoribus et ab ipso secretario in Capitulo subscribantur; secus fidem non faciunt. Acta in Congregationis tabulario diligenter asserventur.

190. — Superior generalis, qui officio cedit, reddit eidem Capitulo accuratam rationem administrationis, id est, de statu personali et disciplinari Congregationis, necnon de statu oeconomico, tum totius Congregationis tum singularum provinciarum, inde a postremo Capitulo electivo; idcirco tabulae rationum ab Oeconomo generali tempore suo conficiantur, et ante Capitulum a Consilio generali cognoscantur. Porro in Capitulo eligantur, per relative maiorem partem secretorum suffragiorum, tres ex eius vocalibus, qui in conficiendis iisdem tabulis iisque approbandis partem non habuerunt; eorum erit praefatas tabulas examinare et de iis ante electiones ad Capitulum referre. Approbata a Capitulo administratione oeconomica proceditur ad electionem Superioris generalis.

Art. III — *De electione Superioris generalis*

191. — Primum eligatur Superior generalis, qui sit saltem quadraginta annos natus, ex legitimo matrimonio ortus et a decem saltem annis in Congregatione professus a votis perpetuis. Superior generalis ad duodecim annos eligitur.

192. — Ante electionem Superioris generalis, omnes et singuli electores iureiurando promittant se electuros quem secundum Deum eligendum esse existimaverint.

193. — § 1. Electio Superioris generalis fit per partem suffragiorum absolute maiorem. Si in primo, secundo et tertio scrutinio nemo partem absolute maiorem retulerit, quartum scrutinium instituitur de iis qui in tertio scrutinio maximum numerum suffragiorum tulerunt, scilicet: aut de duobus iis qui maximum suffragiorum numerum retulerunt; aut de omnibus iis qui maximum aequalem numerum suffragiorum retulerunt; aut de eo qui maximum numerum retulit et iis qui ipsum immediate sequuntur cum numero aequali suffragiorum. Electus tunc habebitur

qui plura suffragia obtinuerit; quod si suffragia aequalia fuerint, electus habebitur senior prima professione; si aequales in professione, senior aetate.

Cum quantum scrutinium fit de duobus candidatis tantum, neuter horum vocem activam in hoc scrutinio habet.

§ 2. Ut idem Superior generalis iterum immediate eligatur, pro eo duae tertiae partes suffragiorum requiruntur, quas si reeligendus in duobus primis scrutiniis non retulerit, vocem passivam ad reelectionem amittit et electio, quasi nihil actum sit, rursus incipitur ad normam § 1.

§ 3. Si electio cum postulatione concurrerit et postulandus duas tertias partes non retulerit in primo aut in secundo scrutinio, electio de novo incipit, amissa voce passiva ex parte postulandi.

194. — Praeses electum interroget an electioni consentiat. Si Praeses ipse electus est, interrogatio haec fiat a secretario Capituli.

195. — Si electus non adsit in Capitulo, convocetur et de consensu interrogetur sine mora. Interim Capitulum suspendatur, donec electus venerit,

196. – Electus debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare, utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet.

197. – Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione quaesitum amittit etsi renuntiationis eum postea poeniteat; sed rursus eligi potest. Capitulum autem intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

198. – Electo acceptante, Praeses vel secretarius electum proclamat; electus statim coram Capitulo professionem fidei emittat; deinde omnes ei obsequium praestent et benedictionem ab eo petant. Postea Capitulo praesideat Superior electus et alia tractentur.

Art. IV – *De electione Officialium generalium*

199. – Post electionem Superioris generalis, distinctis scrutiniis, ad eligendos quattuor Consultores generales, Secretarium generalem, Oeconomum generalem et Procuratorem generalem apud Sanctam Sedem proceditur.

200. – Ad haec munera nemo eligi potest, qui non habeat saltem triginta quinque annos aetatis.

201. — § 1. Pro officio Secretarii generalis etiam unus ex Consultoribus eligi potest, dummodo ne sit primus.

§ 2. Consultores generales ordinarie ne eligantur ad officium Oeconomi generalis vel Procuratoris.

202. — § 1. Omnes eligantur ad normam Cst. 181, et interrogandi sunt de acceptance electionis.

§ 2. Si quis ex modo electis non adsit, statim invitetur; interim tamen Capitulum negotia prosequitur.

203. — Electi in suo quisque officio manent usque ad proximum Capitulum electivum, nec deponi possunt nisi ex gravi causa, a solo Consilio generali et cum licentia Sanctae Sedis, nec renunciare eisdem licet, nisi necessitate urgente et renuntiationem acceptante Consilio generali. Procurator generalis apud Sanctam Sedem ne amoveatur inconsulta Sancta Sede.

Art. V — *De negotiis tractandis*

204. — § 1. In Capitulo etiam de negotiis quae universam Congregationem spectant tractatur,

§ 2. Omnis Capitularis propositiones et petitiones scripto exaratas et ab ipso subsignatas per Praesidem Capitulo praesentare potest.

§ 3. Negotia gravioris momenti, scilicet de disciplina religiosa conservanda, de alumnis in spiritu Congregationis educandis, de studiis promovendis, de administratione bonorum temporalium ac de iis pro quibus absolvendis licentia vel confirmatio Sanctae Sedis requiritur, in plenario peragenda sunt et opportuno tempore antea a Praeside vel secretario in scriptis proponantur, ut unusquisque documenta legere et de rebus tractandis deliberare valeat, antequam suffragium ferat.

§ 4. Negotia capituli per secreta suffragia definiuntur ad normam Cst. 181. Quae tamen unanimi iudicio Capituli sunt minoris momenti etiam alio modo definiri possunt, prout ipsi Capitulo placuerit.

§ 5. Resolutiones bis legantur; et quidem singulae in proxima sessione, et omnes simul in fine Capituli et iuxta Cst. 189 in Capitulo subsignentur, quin fiat ulterior discussio.

205. — Quamvis Capitulum ultra spatium omnino necessarium protrahi non liceat, tamen limites stabiles illi non sunt praefigendi.

206. — Ordinationes Capituli generalis in vigore manent solummodo usque ad proximum Capitulum, nisi denuo approbentur.

207. — Capitulo fas non est Constitutiones a Sancta Sede approbatas modificare nisi accedente confirmatione eiusdem Sanctae Sedis quae confirmatio ne petatur nisi in id consenserint duae tertiae partes Capitularium; neque Capitulo fas est Constitutiones authentice interpretari.

CAPUT III

De Superiore generali

208. — Superior generalis cum suis Consultoribus sedem habeat in Curia generali, quae, nisi prius adhibito voto Consilii generalis, obtentaque licentia Sanctae Sedis, alio transferri nequit.

209. — Superior generalis totam Congregationem sive per se sive per delegatum, singulis trienniis, vel etiam pluries, si opus fuerit, visitet.

210. — Si agatur de Visitatore delegando pro aliqua provincia vel domo, vel pro aliquo

particulari negotio, solius Superioris generalis est illum designare.

211. – § 1. Si vero Visitator generalis pro tota Congregatione deputandus sit, Superior generalis in eo designando votum secretum Consultorum generalium adhibere debet, si eum extra gremium ipsius Consilii sumere velit. Debet autem sumi sacerdos professus a votis perpetuis.

§ 2. Visitator generalis socium secum habere potest.

212. – Superior generalis gravi de causa sodalem de una provincia in aliam transferre potest, auditis Superioribus provincialibus, quorum interest.

213. – Quovis quinquennio, stato tempore, Superior generalis de statu disciplinari, materiali, personali et oeconomico Congregationis fidelem relationem ad normam Instructionum Sacrae Congregationis de Religiosis conscriptam, ad Sanctam Sedem transmittat.

214. – Superior generalis munus Oeconomi generalis ipse gerere nequit, nec aliis muneribus inferioribus ad regimen vel administrationem oeconomicam pertinentibus fungi potest.

215. – Interpretationem authenticam Con-

stitutionum dare nequit, nec additiones, mutationes vel derogationes sancire.

216. — § 1. Superior generalis nequit, absque Sedis Apostolicae licentia, a Constitutionibus dispensare in iis:

1^o Quae iuris communis repetitiones seu applicationes sint;

2^o Quae tangunt essentialia vitae religiosae;

3^o Quae ad regimen directe pertinent;

4^o Quae explicite vel implicite a dispensandi potestate legitime excipiuntur.

§ 2. In aliis omnibus, quae nempe spectant disciplinam religiosam, ipsiusmet Superioris generalis arbitrii est dispensare singulos sodales et domos; auditis vero Consultoribus, sive universam Congregationem in casibus particularibus, sive integram provinciam, regionem vel nationem ita tamen ut dispensationes sine iusta et rationabili causa ne concedantur.

217. — Superior generalis non potest sibi Vicarium constituere ad libitum eique delegare suas facultates; in hoc standum est Cst. 221.

218. — Si necessarium videatur Superiorem generalem officio et auctoritate privare, Consultores generales rem ad Sacram Congregationem de Religiosis deferant.

219. — Superior generalis, si existimet se debere supremum munus abdicare, rationes suas Sacrae Congregationi de Religiosis exponat, cuius est abdicationem admittere vel secus.

CAPUT IV

De Consilio generali

220. — § 1. Quattuor sunt Consultores generales, quorum est Superiori generali in regenda et administranda universa Congregatione consilium et auxilium praestare, prout rogati ab ipso fuerint, necnon suffragium ferre ad normam sacrorum canonum et Constitutionum, eaque proponere quae sibi ad bonum Congregationis necessaria esse videantur.

§ 2. Primus inter Consultores munere admonitoris fungatur erga Superiorem generalem.

221. — § 1. Ille ex Consultoribus qui primus electus fuerit, praeter munus Consultoris quo utitur, Superiore generali a Curia absente, infirmo aut alias impedito, ad eius mentem negotia gerat et expediat. Defuncto vero Superiore generali vel abdicato suo

officio vel deposito, Vicarius evadit et totam regit Congregationem usque ad proximum Capitulum generale.

§ 2. Absente vero vel impedito primo Consultore, alius ordine Consultor, qui in Curia generali adsit nec sit impeditus, de negotiis quotidianis curam habeat.

222. — Consultores apud Superiorem generalem in Curia generali residere debent; in casu autem necessitatis, duo ex illis extra Curiam degere possunt, prope tamen, ita ut Consilio interesse possint.

223. — Consultoribus generalibus alia officia, quae praecipui eorum muneris exercitium praepedirent, non sunt committenda.

224. — Consilium generale ordinarie bis in mense convocandum est, et extraordinarie, si adsint causae tractandae quae dilationem non patiantur.

225. — § 1. Quoties Superior generalis indiget ad agendum consensu Consilii sui vel saltem tenetur ipsum audire, debet Consultores convocare. Cum agitur de nominationibus faciendis Consilium sit plenum. Quodsi quis ex Consultoribus non possit interesse Consilio tunc substituatur per sacerdotem

votorum perpetuorum a ceteris membris Consilii designandum. Haec tamen substitutio ne fiat si agatur de negotiis tractandis.

§ 2. Scrutinium erit secretum in casibus a iure communi et Constitutionibus statutis vel cum unus ex membris Consilii sic fieri postulaverit.

§ 3. Haec omnia de quibus in §§ 1 et 2 non tangunt validitatem actus.

226. — Casus in quibus votum Consilii generalis est deliberativum, ita ut Superior contra Consilii votum invalide ageret, sunt sequentes:

1^o Erectio et suppressio domorum de consensu Ordinarii loci, vel si agatur de domo erigenda in locis missionum, de beneplacito Sacrae Congregationis de Propaganda Fide necnon Ordinarii loci;

2^o Constitutio, suppressio vel modificatio provinciarum, de licentia Sanctae Sedis;

3^o Constitutio, suppressio, modificatio vice-provinciae;

4^o Destinatio bonorum alicuius provinciae suppressae aut modificatae;

5^o Erectio vel translatio novitiatus, de licentia Sanctae Sedis;

6^o Acceptatio novae missionis, de licentia Sanctae Sedis;

7^o Nominatio Superiorum provincialium et vice-provincialium, necnon Superiorum regionalium nullius provinciae eorumque omnium Consultorum; nominatio Magistorum novitiorum;

8^o Acceptatio abdicationis alicuius ex istis Superioribus vel officialibus;

9^o Depositio a munere Officialis generalis, de licentia Sanctae Sedis; Superioris provincialis eiusque Consultorum; Superioris localis huiusque translatio;

10^o Substitutio usque ad proximum Capitulum electivum Officialis generalis in locum illius, qui mortuus sit aut perpetuo inhabilis factus, aut quovis modo officio cesserit;

11^o Designatio Visitatoris generalis pro tota Congregatione, nisi sit e Consultoribus generalibus;

12^o Convocatio Capituli generalis extraordinarii, de licentia Sanctae Sedis;

13^o Dimissio professi a votis temporariis per secreta suffragia;

14^o Dimissio professi a votis perpetuis, servatis de iure servandis, cum confirmatione Sanctae Sedis;

15^o Petitio beneplaciti apostolici pro rebus oeconomicis vel financiariis iuxta ius commune; approbatio transactionum circa res financieras Consilio generali reservatarum iuxta Constitutiones;

16^o Approbatio rationis administrationis generalis, provinciarum et vice-provinciarum. necnon domorum nullius provinciae;

17^o Translatio Curiae generalis, cum approbatione Sanctae Sedis;

18^o Approbatio relationis quinquennalis ad Sanctam Sedem mittendae.

227. — In ceteris casibus in quibus votum Consultorum requiritur, illud consultivum tantum habendum est, nisi ex contextu certo constet deliberativum requiri.

228. — Officiales generales circa omnia negotia, quae, sive in Consilio sive extra, eorum fidei commissa fuerint, secretum diligenter servent. Quod si illud violaverint, serio admoneantur, et si iterum atque iterum in hoc deliquerint, pro gravitate culpaepuniantur.

229. — Cuiuslibet sessionis acta rite et diligenter a Secretario conscribantur et signata ab ipso et Superiore in tabulario asserventur.

CAPUT V

De aliis Officialibus maioribus

230. — § 1. Tres alii sunt Officiales maiores qui Superiorem generalem eiusque Consilium in gubernatione et administratione adiuvant, scilicet Secretarius generalis, Oeconomus generalis et Procurator generalis apud Sanctam Sedem.

§ 2. Hi Officiales maiores sub directione et dependentia Superioris generalis suo munere fungantur.

§ 3. Sessionibus Consilii generalis intersint vel in eam vocentur, si eorum munus id postulet; sed suffragium ferre non possunt nisi sint simul Consultores.

231. — Secretarii generalis est:

1^o Acta sessionum Consilii generalis conscribere et asservare;

2^o Iussu Superioris generalis eiusque nomine epistolas actaque omnia conscribere, quae negotia Congregationis respiciunt, et una cum Superiore generali ex officio subscribere, sigillo Congregationis apposito;

3^o Omnia documenta et acta administra-

tionem et historiam Congregationis spectantia, in archivio ordinate deponere et servare.

232. — § 1. Oeconomi generalis munus est:

1^o Directe et immediate bona Congregationis quae ipsius personae moralis sunt administrare;

2^o Vigilantiam exercere in administrationem bonorum provinciarum, vice-provinciarum et domorum;

3^o De consensu et approbatione Superioris generalis, ad oeconomos inferiores opportunas dirigere instructiones ad applicandas normas generales circa rectam bonorum administrationem;

4^o Documenta servare sui muneris;

5^o Conficere relationem de statu oeconómico Congregationis, Capitulo generali electivo proprio tempore exhibendam.

§ 2. Oeconomus, licet non sit Consultor, si agatur de rebus vel negotiis oeconomicis vel oeconomiam quoquo modo contingentibus, vocetur ad Consilia et audiatur.

233. — Procuratoris generalis est:

1^o Omnia negotia Congregationis in Curia Romana tractare et prosequi;

2^o Documenta servare sui muneris.

CAPUT VI

De proprietate et administratione bonorum temporalium

234. — § 1. Non solum Congregatio, sed etiam ipsius provinciae, vice-provinciae et domus possunt ad normam iuris et absque ulla limitatione, bona quaelibet acquirere et ut propria retinere, cum redditibus stabilibus seu fundatis.

§ 2. Quamvis singulae Congregationis partes plenam habeant acquirendi et possidendi capacitatem, proprietas tamen earum erit subordinata, firma tamen Cst. 241, ita ut Superior maior habeat:

1^o Ius et obligationem vigilandi in administrationem bonorum omnium personarum moralium suae competentiae cum fundationibus forte his adnexis;

2^o Ius imponendi contributiones ordinarias statutis temporibus persolvendas cum voto deliberativo Consilii sui;

3^o Ius etiam imponendi contributiones extraordinarias et transferendi bona de una persona morali in aliam suae competentiae,

iusta necessitatis vel utilitatis causa postulante; requiritur tamen votum deliberativum Consilii sui, auditis Superioribus et Consiliis personarum moralium de quibus agitur. Superior provincialis insuper consensum Superioris generalis postulet. Salva tamen sunt benefactorum voluntas, leges foundationis et iura aliis quaesita.

235. – Ius et officium administrandi bona temporalia Congregationis pertinet ad officiales qui Oeconomus generalis, provincialis seu vice-provincialis aut localis vocantur. Hi omnes sub dependentia a Superiore eiusque Consilio officio suo fungi debent, bona quae sub se habeant ad normam iuris administrando.

236. – Expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide faciunt praeter Superiores, Oeconomi quoque intra fines sui muneris.

237. – Pro pecuniae collocatione, aut collocationis mutatione praevium Ordinarii loci consensum obtinere tenetur:

1^o Superior localis, si bona sint domui attributa vel legata eo fine ut ad Dei cultum vel in beneficentiam eo ipso loco impendantur;

2^o Sodalis quilibet, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut sodalibus intuitu paroeciae vel missionis.

238. — § 1. Si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis aut de contrahendis debitis et obligationibus, observentur tum leges ecclesiasticae communes tum praescripta Superioris generalis cum voto deliberativo Consilii sui.

§ 2. In precibus quibus expetitur licentia vel consensus ad contrahenda debita vel obligationes, ut valeat licentia vel consensus, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis de qua agitur ad eum diem gravatur.

239. — § 1. In casibus de quibus in Cst. praecedenti si consensus vel licentia Sanctae Sedis vel Superioris generalis requiratur, consensus inferiorum Superiorum cum suis Consiliis praecedat necesse est.

§ 2. Alienantes vel alienationi consensum praebentes contra praescripta iuris communis incurrunt poenas eodem iure sancitas.

§ 3. Pro expensis extraordinariis requiritur licentia Superioris maioris secundum normas a Consilio generali statutas vel statuendas.

240. — Loci Ordinario ius esto cognoscendi de administratione fundorum legatorumve iuxta ius commune.

241. — § 1. Si persona moralis Congregationis debita et obligationes contraxerit, etiam cum Superiorum licentiâ, ipsa debet de eisdem respondere.

§ 2. Si contraxerit sodalis sine licentia requisita ut Congregationem obliget, ipsemet, non persona moralis, respondere debet.

§ 3. Licentiam de qua in §§ 1 et 2 valide dare non potest nisi Superior quem Constitutiones designant.

§ 4. Firmum tamen semper esto, contra eum, in cuius rem aliquid ex inito contractu versum est, semper posse actionem institui.

§ 5. Caveant Superiores ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet, ex consuetis redditibus posse debiti fœnus solvi et intra tempus non nimis longum, per partes iuxta pacta gradatim solvendas, reddi ipsam sortem.

242. — Largitiones ex bonis domus, provinciae, Congregationis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris.

243. — § 1. In Curia generali habeatur loco tuto arca, in qua pecunia omnis, syngraphae, tituli, nomina aut alia quae ius dant ad certos fructus vel redditus percipiendos, custodiantur.

§ 2. Eodem modo etiam in provinciis, vice-provinciis et in singulis domibus bona communia sollicite serventur.

§ 3. Arca saltem principalium administrationum tribus distinctis clavibus claudatur, nisi pecunia in mensis nummulariis tutis custodiatur aut deponatur, quo in casu, ut pecunia inde repetatur, documenta duobus subscriptionibus muniantur oportet quoties Superior maior cum suo Consilio id necessarium vel opportunum iudicaverit.

§ 4. Bona Congregationis ut securius custodiantur, instructiones respectivae Superioris generalis eiusque Consilii ubique admissim observentur. Cautè et provide agatur in omnibus actibus civilibus, secundum leges vigentes et omnia observentur quae iure canonico hac in re praescribuntur.

244. — Oeconomus generalis accurate adnotet rationem accepti et expensi.

245. — In fine cuiuslibet semestris Oeconomus generalis relationem exscribat admi-

nistrationis suae circa bona Congregationis et Curiae generalis, quae a Superiore generali cum suo Consilio examinetur et si veritati concors reperiatur, subscriptis nominibus approbetur. Ut hoc expeditius fieri possit, Oeconomus libros omnes et documenta quae desiderantur deferat.

246. — Superiores domorum quovis mense cum suis Consultoribus rationem mensilem ab Oecono localis confectam examinent et approbent ac in fine cuiusvis sexti mensis Superiori provinciali rationem reddant, subscriptis nominibus Superioris, Consultorum atque Oeconomi.

247. — Provincialis quovis sexto mense cum suis Consultoribus administrationem Oeconomi provincialis, subscriptis nominibus, approbet; et conspectum de rationibus domorum, ab Oecono provinciali antea praeparatum, examinet; de quibus omnibus ad Consilium generale relationem postea mittat. Oeconomus vero generalis has rationes oeconomicas singularum provinciarum et domorum diligenter et ipse examinet et de unaquaque provincia relationem praeparet quam Consilio generali approbandam submittat.

248. — Salvo praescripto Cst. 209 Superior generalis quovis saltem sexto anno visitationem oeconomicam specialem per Oeconomum generalem vel per alium rerum oeconomicarum peritum in omnibus domibus Congregationis faciat. Idem fiat, mutatis mutandis, semel in anno in singulis provinciis.

CAPUT VII

De Provinciis

Art. I — *De diversis Congregationis divisionibus*

249. — § 1. Territorium quod ita maturuerit, ut regimen, tam directivum quam oeconomicum, ibi plene institui et exerceri posse praevideatur, et in quo opera apostolatus inchoari et continuari posse censeantur, erigi potest in provinciam.

§ 2. Constitutio, suppressio, modificatio provinciarum ad unam pertinet Sedem Apostolicam.

250. — § 1. Coniunctio domorum, quae novam provinciam constituere qualibet de causa non valent, a Superiore generali cum

suis Consultoribus erigi poterit in vice-provinciam.

§ 2. Vice-provinciae omnes proprios habent Superiores maiores, qui potestate, ordinaria quidem, sed vicaria, suam quisque vice-provinciam regunt et Vice-provinciales dicuntur, eademque iura et officia generatim habent, quae Superior provincialis, et in regimine adiuvantur a duobus Consultoribus a Consilio generali nominatis.

§ 3. Potestas, qua Superiores vice-provinciales utuntur, est vicaria Superioris generalis.

§ 4. Ne erigantur provinciae vel vice-provinciae intra biennium ante convocationem Capituli generalis ordinarii.

251. — § 1. Regionis nomine venit coniunctio domorum alicuius territorii quae in provinciam vel vice-provinciam erigi nondum valent, vel quas erigi non expedit. Huic regioni a Superiore maiore, cui domus subiiciuntur, praeficitur Superior regionalis, a Superiore generali confirmandus, cum duobus Consultoribus. Superior regionalis eam habeat potestatem, quam delegaverit Superior maior in ipsius constitutione. Regio

potest directe ab ipso Superiore generali pendere, vel etiam ab aliquo Superiore provinciali.

§ 2. Superior generalis domos, tam novas quam veteres, potest suae potestati immediate subiicere gravi de causa, de consensu tamen Consultorum et auditis Superioribus maioribus, quorum interest.

252. — Exstincta provincia, vel vice-provincia, de eius bonis statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat ad Capitulum generale, vel, extra tempus Capituli, ad Superiorem generalem cum voto deliberativo Consilii sui.

Art. II — *De Capitulo provinciali*

253. — Tribus saltem mensibus ante Capitulum generale habendum est Capitulum provinciale, ad quod Superior provincialis omnes Capitulares tempestive convocet, indicans locum et tempus Capituli, auditis antea Consultoribus.

254. — § 1. Capituli provincialis membra sunt:

1^o Superior provincialis qui etiam praeest,

nisi eo impedito, alius ad normam Cst. 184 § 2, eius vices gerat;

2^o Consultores provinciales;

3^o Oeconomus provincialis, qui de Capitulo sedenti manet, licet non reeligatur;

4^o Superiores domorum duodecim saltem electores habentium, et totidem delegati;

5^o Duo delegati pro singulis coetibus duodecim saltem electorum iuxta Cst. 257;

6^o Superior regionalis ex qualibet missione et regione a provincia dependenti;

7^o Magistri novitiorum.

§ 2. Si quis e Superioribus sub 4^o et 6^o enumeratis legitime impeditus fuerit, Capitulum adeat primus eius Consultor, cuius, si ipse electus fuerit delegatus, in locum veniat substitutus.

255. — Qui iure membra sunt Capituli provincialis eligi nequeunt delegati.

256. — Quaevis domus provinciae duodecim saltem electorum, proprium eligat delegatum Capitularem itemque substitutum.

257. — Ubi praecedens Constitutio non obtinet, a Consilio provinciali uniantur domus ita, ut componantur coetus electorum saltem duodecim, non autem ultra circiter

viginti tres. Electores sic uniti duos delegatos ad Capitulum provinciale eligant et primum quidem unum e Superioribus, deinde alterum e subditis eiusdem coetus; pro utroque delegato ex eodem coetu etiam substitutus, Superior vel subditus, eligatur. Primus substitutus in locum illius delegati succedat, qui prius impeditus fuerit.

258. — Domus filiales cum communitate principali unam domum constituunt ita ut superiores domorum filialium subditi sint in sensu Cst. praecedentis.

259. — In electionibus ad Capitulum provinciale et in eodem faciendis observentur normae pro Capitulo generali vigentes, nisi in hoc capite aliter expresse notetur.

260. — In coetibus electorum de quibus in Cst. 257 atque in regionibus et missionibus a provinciis pendentibus suffragium modo ordinario id est collegialiter feratur. Si tamen hoc modo commode, iudicio Superioris maioris, fieri non possit, per epistolam feratur. In hoc casu electus erit qui suffragiorum validorum partem relative maiorem obtinerit,

261. — In Capitulo provinciali rite constituto omnia servantur, congrua congruis referendo, quae pro Capitulo generali praescripta sunt.

262. — § 1. Ad Capitulum provinciale pertinet:

1^o Duos delegatos provinciae adscriptos eligere, qui Capitulo generali intersint, necnon duos substitutos delegatorum; primus substitutus in locum illius delegati succedat qui prius impeditus fuerit.

2^o Oeconomum provincialem eligere, qui in suo officio manet usque ad proximum Capitulum provinciale. Ordinarie ne sit e numero Consultorum.

§ 2. In Capitulo tractentur etiam negotia quae ad totam provinciam spectant.

§ 3. Capitulo ius competit statuendi ordinationes pro tota provincia, accedente tamen confirmatione Superioris generalis cum suo Consilio.

263. — Acta Capituli provincialis, rite signata, ad Consilium generale sine mora transmittantur.

264. — Ordinationes sive statuta Capituli provincialis, confirmatione obtenta, vim ha-

bent in provincia usque ad proximum Capitulum provinciale, nisi ab eo denuo approbentur.

Art. III — *De officio et potestate Provincialis*

265. — § 1. Ad munus Superioris provincialis inhabiles sunt qui Congregationem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, nec sunt ex legitimo matrimonio nati et annos quinque supra triginta non expleverunt.

§ 2. Superior provincialis ad triennium nominatur a Superiore generali cum voto deliberativo Consilii et ad alterum triennium renominari potest.

§ 3. Praescriptum Cst. 214 valet pariter pro Superiore provinciali.

266. — Ad Superiorem provincialem pertinet:

§ 1. Cum voto deliberativo sui Consilii

1^o Oeconomum provincialem extra tempus Capituli sufficere;

2^o Superiores regionales et locales suae provinciae, cum confirmatione Superioris generalis, nominare;

3^o Superioribus enumeratis Consultores designare, regionum et domorum Oeconomos nominare, aut eosdem, gravi tamen de causa, deponere eorumque resignationem acceptare;

4^o Procuratorem missionum nominare iuxta Statutum pro Missionibus;

5^o Postulantes ad novitiatum, novitios ad primam professionem et clericos ad primam tonsuram et ad ordines omnes admittere;

6^o Professum dimittere in casu urgenti;

7^o Visitatorem extra Consultores delegare;

8^o Administrationem Oeconomi provincialis approbare, semestri absoluto;

9^o Mutua vel obligationes contrahendi potestatem facere et alienationes permittere intra limites suae competentiae;

10^o Expensas extraordinarias permittere et de bonis temporalibus personarum moralium disponere, servatis praescriptis Constitutionum;

11^o De bonis domus suppressae disponere;

12^o Curiam provincialem transferre cum consensu Superioris generalis.

§ 2. Cum voto consultivo sui Consilii

1^o Capitulum provinciale convocare eisdemque tempus et locum indicare;

2^o Sibi subditis domum assignare eosque transferre;

3^o Magistrum spiritus in studiorum domo nominare atque philosophiae et sacrae theologiae professores Consilio generali praesentare;

4^o Novitios dimittere et tempus novitiatus protrahere;

5^o Professos a votis temporariis ad renovationem votorum et ad perpetuam professionem admittere aut professionem perpetuam differre;

6^o Relationes accepti et expensi singulorum domorum recognoscere;

7^o Domum sibi subiectam, ad tempus, dispensare, quod spectat disciplinam religiosam iuxta normas in Cst. 216 pro Superiore generali statutas.

§ 3. Per se

1^o Singulis domibus confessarios designare;

3^o Adspirantes ad postulatum admittere;

3^o Receptioni novitiorum, professioni vel renovationi votorum praesidere per se aut per delegatum;

4^o Anticipationem renovationis votorum permittere;

5^o Omnes suae provinciae domos quotannis visitare per se aut per Consultorem delegatum;

6^o Singulos sodales dispensare in iis quae spectant disciplinam religiosam.

267. — Superior provincialis potest, servatis servandis, facultates sibi a praecedenti Constitutione § 3 reservatas, delegare; item Consilium provinciale iura et officia propria demandare valet Superioribus regionalibus: quae facultates delegatae in scriptis determinentur.

268. — In domibus Superiori generali immediate subiectis, Superior generalis eiusque Consilium etiam munia omnia exercent quae Provincialis eiusque Consilii sunt.

269. — Superior provincialis de regimine provinciae, praesertim de iis quae a Consilio provinciali decreta sint, ad Superiorem generalem referat.

270. — Expleto tempore ad quod Superiores provinciales aliique officiales provinciales nominati sunt, in muneris exercitio permanent usque dum novus Superior provincialis vel novi officiales nominati advenerint, nisi aliud a Superiore generali provisum fuerit.

Quod valet etiam de aliis Superioribus et officialibus.

271. – Quae in hoc et sequenti articulo dicuntur de iure et officio Superioris provincialis et eius Consilii, applicentur quoque Vice-provinciali et eius Consilio, nisi aliud expresse statuatur.

Art. IV – De Consilio et Oeconomo provinciali

272. – § 1. Quattuor sunt Consultores provinciales. Hi pariter ac Provincialis nominantur a Superiore generali cum voto deliberativo Consilii e sacerdotibus, qui vota perpetua emiserunt. Insuper tricesimum aetatis annum habeant. Si quis ex eis mortuus fuerit vel officio cesserit, alius nominetur.

§ 2. Primus Consultor, Superiore provinciali a provincia absente, infirmo vel alias impedito, ad eius mentem negotia gerat et expediat. Defuncto vero Superiore provinciali, Vicarius evadit et provinciam regit donec Superior generalis aliter providerit.

§ 3. Ex aliis Consultoribus Provincialis Secretarium designet.

273. – Semel saltem in mense adunabitur

Consilium provinciale. Votum eodem modo exquirendum est qui pro nominationibus et negotiis in Consilio generali pertractandis definitur.

274. — § 1. Oeconomus provincialis vel vice-provincialis officio suo fungitur ad instar Oeconomi generalis.

§ 2. In fine cuiuslibet semestris rationem accepti et expensi provinciae Consilio provinciali subiiciat.

275. — Oeconomus provincialis vel vice-provincialis, si extra tempus Capituli officio suo quocumque modo defuerit, a Consilio provinciali sufficiatur.

CAPUT VIII

De domibus earumque regimine

276. — Nulla domus erigatur, nisi in ea conveniens numerus sodalium collocari valeat et nisi iudicari prudenter possit ex redditibus propriis aliove modo, congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri.

277. — § 1. Domus religiosae eriguntur a Superiore generali de consensu sui Consilii et de consensu Ordinarii loci in scriptis dato.

§ 2. Ad erigendam domum religiosam in locis missionum, requiritur praeterea beneplacitum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

278. — Constituendae novae domus licentia facultatem secumfert habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis, et firma obligatione obtinendi consensum Ordinarii loci antequam ecclesia vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificetur; pia opera exercendi Congregationi propria, salvis clausulis in ipsa permissione appositis.

279. — Ut constituta domus in alios usus convertatur, eadem solemnitates requiruntur ac pro erigenda domo, nisi agatur de conversione quae, salvis foundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur.

280. — Ut aedificentur et aperiantur scholae vel similis rationis aedes separatae a domo, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia.

281. — Sanctissima Eucharistia custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in oratorio

principali sive publico sive semipublico cuiuslibet domus Congregationis.

282. — Domus religiosa supprimi potest a Superiore generali cum voto deliberativo Consilii sui et consentiente Ordinario loci.

283. — Dispositio bonorum domus suppressae pertinet ad Superiorem provincialem cum voto deliberativo sui Consilii, salvis semper fundatorum seu oblatores voluntatibus atque iuribus legitime quaesitis.

284. — § 1. Superiores locales a Provinciali cum voto deliberativo Consilii et confirmatione Superioris generalis constituentur ad triennium; quo elapso eodem modo possunt ad idem munus iterum assumi sed non tertio immediate in eadem domo.

§ 2. Durante munere neque deponi nec alio transferri possunt, nisi gravi de causa. Depositionem autem vel translationem solus Superior generalis cum voto deliberativo Consilii sui peragere potest, praemisso voto secreto Consilii provincialis.

285. — Praescripta praecedentis Constitutionis applicentur quoque Superioribus seu Directoribus scholarum aliorumve institutorum, si isti Directores sint simul Superiores

religiosorum, etiam quoad religiosam disciplinam.

286. — Superior localis professus sit a votis perpetuis.

287. — Absque Superioris provincialis seu vice-provincialis licentia Superior localis ultra decem dies domo abesse nequit; pro absentia vero, quae tres hebdomadas excedit, Superior generalis adeundus est.

288. — Superior localis est:

1^o Domum sibi creditam ad normam Constitutionum regere et administrare;

2^o Licentias communes sodalibus concedere iuxta casus occurrentes;

3^o Dispensare a praescriptionibus disciplinaribus iuris particularis singulos subditos ex rationabili causa et ad breve tempus; pariter dispensare a praedictis totam communitatem urgente de causa, auditis tamen prius Consultoribus;

4^o Curare ut necessaria quoad victum, vestitum et habitationem omnibus ministrentur;

5^o Approbare expensas ordinarias;

6^o Sollicite attendere, ut Missae sedulo celebrentur, sive quoad numerum sive quoad conditiones;

7^o Curare ut praescriptiones sacrorum canonum necnon Constitutionum de tuenda disciplina, praesertim clausura, stricte observentur;

8^o Curare ut semel saltem in anno, statis diebus, publice legantur Constitutiones, itemque decreta quae publice legenda praescribuntur;

9^o Subditos instruere de vita religiosa et curare ut saltem bis in mense christianae catechesis habeatur instructio pro coadiutoribus et familiaribus, audientium conditioni accommodata, et pia ad omnes de familia exhortatio;

10^o Invigilare et prudenter urgere ut semel in hebdomada omnes ad Poenitentiae sacramentum accedant;

11^o Curare ut sacerdotes quotidie Sacrificium Missae celebrent, alii pie intersint; necnon omnes sodales alia exercitia pietatis praescripta peragant et singulis annis exercitiis spiritualibus vacent;

12^o Curare ut semel in mense conferentia habeatur pro clericis de re morali et liturgica;

13^o In operum locatione assignare operariis honestam iustamque mercedem;

14^o Quater in anno Superiori provinciali, bis Superiori generali relationem de statu personarum et rerum mittere.

289. — § 1. Superior localis in regenda communitate sibi commissa adiuvetur a duobus Consultoribus, qui a Superiore provinciali cum voto deliberativo Consilii nominentur; quorum consensum aut consilium eodem modo exquirat qui pro Consilio generali definitur.

§ 2. Consultores locales votum deliberativum habent:

1^o In approbandis rationibus accepti et expensi administrationis oeconomicae;

2^o In approbandis expensis extraordinariis, in debitis et obligationibus contrahendis, aliisque actibus oeconomicis ad normam Constitutionum;

3^o In dimissione professi in casu urgenti.

§ 3. Praeterea Consilii localis est iudicare et sententiam suam suffragiis secretis manifestare de idoneitate candidatorum:

1^o Ad novitiatum;

2^o Ad professionem, sive primam, sive perpetuam et ad vota renovanda;

3^o Ad primam tonsuram et ordines omnes.

§ 4. Votum habent consultivum in ceteris casibus.

290. — § 1. Ordinarie Superior localis semel in mense Consilium convocet; saepius quoque, si res ferat, praecipue in domibus maioribus.

§ 2. Etsi Superior suorum Consultorum consensum vel consilium in multis rebus de iure stricto non indiget, tamen in omnibus rebus gravioribus eos libenter consulat.

291. — § 1. Administratio bonorum domus et rerum omnium materialium cura, sub auctoritate Superioris localis Oeconoמו locali concedita sunt, secundum normas pro Oeconoמו generali statutas exercenda, exceptis excipien-
dis; accepti et expensi rationes singulis mensibus reddat Superiori locali eiusque Consilio.

§ 2. Oeconomus nominatur a Consilio provinciali ad triennium una cum Superiore, sed semper ad idem munus denuo nominari potest.

§ 3. Munus Oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris localis distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas, iudicio Superioris provincialis, id exigat.

292. — Alia munera et officia in domo sodalibus committuntur ab ipso Superiore locali cum suo Consilio nisi aliter provisum est.

CAPUT IX


De obligatione Constitutionum

293. – Constitutiones illae, quae vota, praecepta Dei vel Ecclesiae continent, sub peccato obligant; ceterae vero sub reatu culpae non ligant, inducunt autem obligationem in conscientia subeundi poenam, quae pro violatione statuitur.

294. – Transgressionem illarum Constitutionum, quae per se culpam non includunt, accedente circumstantia aggravante, graviter vel leviter peccaminosae fiunt, e.g. si quis suo malo exemplo aliis scandalo est, si quis eas transgreditur propter inordinatum affectum, ex vanitate, sensualitate etc.; quin immo gravis peccati reus existet, qui eas ex contemptu formali transgreditur aut habitualiter adeo, ut dimissionis periculo se exponat.

295. – Integrum exemplar Constitutionum tradatur cuilibet sodali et novitio, ut eas et privatim legere et lectas animo volvere unusquisque possit.

APPENDIX



DECRETUM LAUDIS

Vepres inter et spinas undique aevo nostro scatentes, in urbe S. Quintini, dioecesis Suessionensis, anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo, veluti flos pulcher ac redolens germinavit pia Presbyterorum Societas a SS. Corde D.N.J.C. Suessionensis nuncupata, cujus scopus est ut illius alumni, terrenis affectibus abdicatis, Divino Cordi in omnibus obsequantur, et tum in seipsis, tum in proximis ignem illum accendere satagant, quem Dominus Noster venit mittere in terram et nihil aliud vult nisi ut accendatur.

Ad finem autem sibi propositum facilius assequendum directioni Moderatoris Generalis iidem subsunt, tria consueta vota simplicia, prius ad tempus, dein in perpetuum emittunt, ac vita exemplari, et peculiari studio in erudienda spiritu intelligentiae ac pietatis juventute, nec non in peragendis rite ecclesiasticis functionibus, sacrisque missionibus, aliisque ministerii ope-

ribus, quibus parochis valido subsidio sunt, sedulo operam navant. Pia haec Societas vix ac nata fuit, illico bonum odorem suum diffundere coepit, ita ut in praesens jam in quatuor Galliae dioecesebus radices fixerit, et octo domus numeret cum octoginta septem sociis. Haec luculentissimis attestationibus confirmantur tum Episcopi Suessionensis, tum aliorum Ordinariorum in quorum dioecesebus enunciati Instituti domus exstant, qui omnes SS.^{mum} Dominum Nostrum Leonem PP. XIII instanter exorant ut illud Decreto laudis condecorare dignetur, pro certo habentes Apostolicis benedictionibus irrigatum, uberiores fructus fore producturum. Quibus omnibus SS.^{mo} D. N. relatis, in audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 16 februarii 1888, Sanctitas Sua, omnibus sedulo perpensis, attentisque praefatis litteris commendatitiis Antistitum locorum, enunciatae piae Societatis Presbyterorum SS. Cordis D.N.J.C. scopum seu finem, summopere laudare et commendare dignata est, prout praesentis Decreti tenore summopere laudatur et commendatur, salva Ordinariorum jurisdictione, ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum, dilata ad opportunius

tempus tam Instituti, quam Constitutionum approbatione, circa quas interim nonnullas animadversiones communicari mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 25. Februarii 1888.

L. Card. MASOTTI, *Praefectus*

L. ⌘ S.

† Fr. Aloysius, Epus Callinicen. *Secretarius*.

DECRETUM

approbationis temporariae

SS.mus Dnus Noster Pius Divina Providentia Papa X, in audientia habita ab infrascripto Cardinali, Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto, die prima hujus mensis; attenta ubertate salutarium fructuum quos tulit Institutum Presbyterorum a S. Corde Jesu, domum principem habens in dioecesi Suessionensi, attentisque praesertim commendatitiis litteris Antistitum locorum in quibus ejusdem Instituti sodales commorantur, Institutum ipsum, a Decessore suo fel. rec. Leone XIII jam amplissime laudatum et commendatum, uti congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatoris Generalis, approbare et confirmare dignatus est; praeterea Constitutiones praedicti Instituti, uti continentur in hoc exemplari, cujus autographum asservatur in archivio praefatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, ad decennium per modum experimenti benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis De-

creti tenore respective approbat et confirmat, salva Ordinariorum jurisdictione ad normam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 4 Julii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

Locus  Sigilli.

Ph. Giustini, *Secret.*

DECRETUM

approbationis definitivae

4524 S. 13.

21

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia S. P. XI, in audientia concessa R. P. D. Secretario Sacrae Congregationis, die 5 Decembris 1923; attentis litteris commendatiis Sacrorum Antistitum, quorum in dioecibus reperiuntur domus Instituti Presbyterorum a Sacro Corde Jesu nuncupati, cujus domus princeps sita est in dioecesi Suessionensi; audito praesertim suffragio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, eidem Sacrae Congregationi praepositorum, qui in plenariis Comitiis, in Aedibus Vaticanis, die 30 Novembris hujus anni, habitis, rem maturo examine perpenderant, praefati Instituti Constitutiones, lingua latina exaratas, ut continentur hoc in exemplari, cujus autographum in tabulario ejusdem Congregationis de Religiosis asservatur, definitive approbare et confirmare dignatus est;

prout praesentis Decreti tenore easdem definitive approbat et confirmat, salva Ordinariorum jurisdictione ad normam Sacrorum Canonum.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, die 5. Decembris 1923.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

Locus ☒ Sigilli.

Maurus M. Serafini, *Abb. O.S.B.*
Secretarius.

SACRA CONGREGATIO
DE RELIGIOSIS

Nr. 14536/54-S. 13.

DECRETUM

Sacra Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita, precibus Capituli Generalis Congregationis Sacerdotum a S. Corde Iesu, cuius domus princeps Romae exstat, benigne adnuens, mutationes afferendas praedictae Congregationis Constitutionibus ultima vice die 5 Decembris 1923 approbatis, attento examini submitisit atque in Congressu Plenario Constitutiones ita mutatas attente excussit ac in nonnullis articulis emendationes induxit.

Praesentis autem Decreti tenore, immutationes et additiones prout continentur in hoc lingua latina exarato exemplari, cuius autographum in Archivio Eiusdem Sacrae Congregationis asservatur, approbat et confirmat atque ab omnibus servandas esse mandat.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. C. de Religiosis, die 8 mensis Iunii, A. D. 1956, in festo Sacratissimi Cordis Iesu.

Valerius Card. VALERI, *Praefectus*.

Locus ✠ Sigilli.

P. Arc. Larraona, *Secretarius*.

CONSTITUTIONES RELATAE AD SS. CANONES

Cst.	Can.	Cst.	Can.
1	487; 488	42	567
4	1274 § 1	43	568
19	593; 594	44	569
20	558	45	571
21	106	46	S. C. de Rel. 1 dec. 1931
22 § 4	596	47	543; 575 § 2 Doc. III p. 29
23	538; 968	48	571 § 3
24	544	49	559
25	544 § 6	50	560
26	546	51	560
28	539; 540	52	561
30	541	53	563
31	570	54	572
32	542	55	S. C. de Rel. 30 dec. 1922
33	543	56	574
34	554	57	576 § 1
35	553	58	577
36	557	59	576 § 2
37	555	60	575 § 1
38	556	61	543; 575 § 2
39	558		
40	564		
41	565		

Cst.	Can.
62	§ 2 119; 132
	§ 3 1315
	§ 4 188; 584
	§ 5 Paulus V 23.5.1606
63	§ 1 578
	§ 2 585; 964, 4 ^o
64	586
73	579
74	569; 580 § 3
75	569 § 3; 583, 2 ^o
76	580 § 1; 583, 1 ^o
78	580 § 2; 594 § 2
79	594 § 1
80	594 § 3
81	2389
83	595 § 1, 3 ^o
84	518
85	519
86	566 § 2
87	891
88	530
89	1757 § 3, 2 ^o
91	595 § 1, 2 ^o
94	§ 1 595 § 2; S.C. de Sacr. 8 dec. 1948
	§ 2 595 § 3
96	125; 595 § 1, 2 ^o

Cst.	Can.
99	125
100	595 § 1
103	620; 1251
108	2389
109	592
110	593
111	§ 1 604 § 1
	§ 2 599 § 1
112	597 § 2
113	605
117	606
118	611
120	1406, 7 ^o , 9 ^o
121	608
122	609
123	§ 1 1345
	§ 2 612
124	§ 1 613
	§ 2 614
	§ 3 619
125	§ 1 587
	§ 2 587; 588 § 3
	§ 3-4 587
126	588
127	589; 1365 1366
127	§ 4 A.A.S.X, 237
128	590
129	591

Cst.	Can.
130	1386; 580 § 2
131 § 1	964, 4 ^o
§ 2	995 § 1
§ 3	1011
132	965
133	966
134	967
135 § 1	S. C. de Rel. 1 dec. 1931
§ 2	996 § 1, § 2
§ 3	982 § 2
136 § 1	S. C. de Rel. 1 dec. 1931
§ 2	970
§ 3	2222 § 2
137 § 1	975
§ 2	976 § 2
§ 3	976 § 3
141	882
143 § 1	514 § 1
§ 2	Com. Cod. 16 jun. 1931
145	514 § 4; 1221
146	1224, 2 ^o
148	567 § 1; 578
155	637; 641 § 1
156	638
157	641 § 1
158 § 1	644 § 1

Cst.	Can.
158 § 2	644 § 2
§ 3	2385
159 § 1	644 § 3
§ 2	2386
§ 3	645
160 § 1	646
§ 2	Com. Cod. 30 jul. 1934
161	653
162	647
163	648
164	649
165	650
166	669
167	643 § 1
168	499 § 1 500 § 1
169	502
170	488, 8 ^o
171 § 1	501 § 1
§ 2	501 § 2
§ 4	509 § 1
§ 5	508
175	161; 162
176	163
179	Doc. III p. 28 578, 3 ^o
180	629 § 2
181 § 1	101

Cst.	Can.	Cst.	Can.
181	§ 2 164	237	533
	§ 3 170	238	534
	§ 5 507 § 3	239	§ 2 2347
	172 § 1	240	535 § 3
	179 § 1	241	536
182	169	242	537
183	507 § 2	249	494
185	165	251	502
186	171 § 1	252	494 § 2
187	171 §§ 2-4	257	Doc. III p. 26
188	168	265	504; 505
189	171 § 5	267	199 § 1
191	504; 505	272	516 § 1
192	506 § 1	276	496
193	§ 3 180 § 1	277	497 § 1
194	174	278	497 § 2
196	175		1162 § 4
197	176 § 1	279	497 § 4
203	517	280	497 § 3
209	511	281	1265 § 1, 2 ^o
213	510	282	498
214	516 § 3	283	1501
216	80	284	505
220	516 § 1	285	Com. Cod.
225	105, 2 ^o		2-3 jun. 1918
226	105, 1 ^o	288	502
234	531	288,	6 ^o 842; 844
235	516 § 2		7 ^o 604; 606
236	532 § 2		8 ^o 509 § 2, 1 ^o

Cst.	Can.
288,	9 ⁰ 509 § 2, 2 ⁰
	10 ⁰ 595 § 1, 3 ⁰
	11 ⁰ 595 § 1
	12 ⁰ 591
	13 ⁰ 1524

Cst.	Can.
289	§ 1 516 § 1; 105
	§ 3 S. C. de Rel.
	1 dec. 1931
291	516; 532
	§ 3 516 § 3

STATUTUM PRO MISSIONIBUS



STATUTUM PRO MISSIONIBUS

PARS PRIMA

DE PERSONIS

CAPUT I

De Missionibus nostris in genere et de candidatis missionariis

1. – Nomine «*Missionum exterarum*» proprie dictarum veniunt opera apostolatus, quae finem habent: *a)* propagationem fidei in regionibus infidelium, et, *b)* conservationem fidei in regionibus recenter conversis ad fidem catholicam.

2. – Ad missiones externas, de quibus sub n. 1, mittentur solummodo illi sodales qui postulaverint.

3. – Superiores maximam curam adhibeant in electione candidatorum ad missiones.

4. – Missionarios omnino in omnibus disciplinis tum sacris tum profanis quae eis opus sint,

bene eruditos esse oportet, et expedit ut peculiari scientia rerum missionalium imbuantur.

5. — Ad missiones solummodo mittentur, qui perpetuam professionem fecerint. A qua regula numquam dispensatio dabitur, quando agitur de fratribus conversis.

6. — Antequam fratres conversi ad missiones mittentur, specialem formationem recipient, aptatam peculiaribus necessitatibus missionis singulis designatae. Acquirent exercitium alicuius opificii vel artis peculiariter utilis missionibus.

7. — Missionarium qui ob graves causas, paterne Superiorum correctione incassum cessa, de missione revocatus fuerit, iterum in eandem vel aliam missionem mittere non licet, nisi de eius emendatione constet, de qua re Superiores maiores accurate informati iudicare debent.

CAPUT II

Status canonicus missionum nostrarum. — Iura Superiorum religiosorum relate ad missiones et missionarios

8. — Missiones, quibus inservit Congregatio, sunt duplicis speciei: *a*) aliae dependent a provincia, cui concreditae sunt; *b*) aliae sunt « nullius provinciae », sub immediata directione Superioris Generalis et eius Consilii.

9. — Omnes missionarii provinciae propriae addicti remanent. Quod attinet ad missiones « nullius provinciae », missionarii, durante sua commoratione in missione, immediate subiiciuntur tamquam religiosi Superiori Generali eiusque delegatis.

10. — Singulis missionibus nostris praest Superior religiosus vocatus « Superior regionalis ». (Cst. 251 § 1).

11. — In missionibus alicui provinciae concreditis, Superior regionalis nominatur a Consilio provinciae cui missio concredita est, et confirmatur a Superiore Generali. (Cst. 266 § 1, 2°).

b) In missionibus « nullius provinciae », Superior regionalis nominatur a Superiore Generali cum voto deliberativo Consilii sui. (Cst. 226, 7°).

12. — Superior regionalis constituitur ad triennium, quo elapso, ad aliud triennium potest confirmari, sed non ultra hunc terminum pro eadem missione.

13. — Superior regionalis dependet a Superiore ecclesiastico suae missionis solum in exercitio sacri ministerii. De consensu eiusdem Superioris ecclesiastici, Superior regionalis eligit, quantum fieri possit, pro sua residentia, locum ubi communicationes cum diversis locis missionis erunt faciliores.

Domus in qua Superior regionalis residet, a Superioribus maioribus in domum formatam canonice erigatur; Superior regionalis huius domus Superior localis instituatur ad normam Constitutionum.

14. — Omnes autem stationes vel residentiae minores eiusdem missionis vel regionis domus stricte filiales ab ipsis Superioribus maioribus declarentur ac domui principali ut partes adnecantur.

15. — Religiosi domorum filialium, tamquam sodales domus principalis, Superiori regionali subiiciuntur et ab ipso gubernantur per Superiorem delegatum ad normam Constitutionum et Statuti particularis, quo iura et obligationes ipsius delegati claro ac firmo modo definiuntur.

16. — Omnia bona quae domibus filialibus, a bonis missionis distincta, obveniunt, ad domum principalem pertinent.

17. — Quoad missionarios sibi subditos, Superior regionalis gaudet fere omnibus iuribus ac Provincialis. Attamen illa iura non exercet nomine proprio, sed vi delegationis et nomine illius Superioris maioris, cuius vices gerit, id est Superioris Generalis in missionibus « nullius provinciae » et Superioris Provincialis in missionibus alicui provinciae concredit. (Cst. 251 § 1 et 267). Qua ex causa Superior regionalis non est Supe-

rior maior, nec gaudet Provincialis privilegiis vel Vice-provincialis quoad capitula.

Attamen, durante munere, locum habebit ante Superiores locales et post Provinciales vel Vice-provinciales eorumque consultores. (Cst. 21, 12°).

18. — Superiores regionales in regimine suo adjuvantur a duobus consultoribus, qui pro missionibus « nullius provinciae » a Consilio Generali et in aliis a Consilio respectivae Provinciae nominantur ad triennium; e munere cadunt simul ac Regionalis.

19. — Huius Consilii votum in omnibus negotiis maioris momenti expetendum est, saltem consultivum, et si aliter fieri non potest, etiam per litteras.

20. — Cessante, vel impedito quacumque de causa Superiore regionali, eius munus geret primus e consiliariis.

21. — Substituens regionalem, designabit alium religiosum suae residentiae, vel locorum proximorum, ut provisorio modo compleat Consilium.

22. — Superior regionalis, saltem ter in anno, suis Superioribus maioribus rationem reddet suae administrationis, sui agendi modi, et laborum seu operum missionariorum et status missionis circa ea quae ad ipsum pertinent.

CAPUT III

De Ordinariis loci vel Superioribus ecclesiasticis in missionibus nostris

23. — Superiores ecclesiastici sunt: Episcopi residentiales (ubi hierarchia est constituta), Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici et Superiores Missionum sui iuris (ubi hierarchia nondum erecta est); itemque ii qui praedictis deficientibus interim de iure succedunt in regimine.

24. — Superiores ecclesiasticos a S. Sede nominandos, Superior Generalis, a S. Sede invitatus, tres candidatos Congregationis nostrae proponit iuxta normas ab eadem S. Sede statutas.

Itemque agat si nominandus sit coadiutor aliquis cum futura successione.

25. — Si vero pro regimine alicuius Missionis non fuerit constitutus coadiutor cum futura successione, providendum erit ad normam Cod. Iur. Can. et instructionum S. C. de Prop. Fide.

26. — Vicarii Apostolici, si res postulat, « Vicarium delegatum » constituere possunt, ad normam Dec. Congr. de Prop. Fide, 3 Dec. 1919.

27. — Munus Provicarii a munere « Vicarii delegati » est distinctum, quare administratione Vicariatus cessante vel impedita, ipse Provica-

rius, non autem « Vicarius delegatus », supremum missionis regimen assumit. Sed, « Vicarius delegatus » simul Provicarius renunciari potest et vicissim.

28. — Superior ecclesiasticus sibi Consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis constituere debet. In gravioribus et difficilioribus negotiis, consultorum sententiam saltem per epistolam audiat.

29. — Quantum fieri potest, Superior ecclesiasticus praecipuos saltem missionarios semel in anno convocabit, ut ex eorum experientia et consilio cognoscat, quae sint perfectius ordinanda.

30. — Superiores ecclesiastici, qui episcopali dignitate aucti non sunt (ut e. g. Praefecti Apostolici) munere dimisso, vel expleto, iam amplius nullis privilegiis vel iuribus honorificis gaudent et in omnibus, tum quoad iura tum quoad obligationes, aliis religiosis aequiparantur.

CAPUT IV

De mutua habitudine Superioris ecclesiastici et Superioris religiosi

31. — Missionarii religiosi (tum sacerdotes tum fratres laici) duplici obedientiae vinculo obstringuntur, scilicet: 1) subiiciuntur qu a m i s -

sionarii Superiori ecclesiastico; 2) subsunt qua religiosi Superiori religioso.

32. — Regula generalis est: omnia, quae spectant ad sacrum ministerium et temporalem missionis administrationem, dirigi debere a Superiore ecclesiastico; ea vero, quae vitam et disciplinam religiosam respiciunt, ad munus Superioris religiosi pertinere. Uterque Superior curet, ut officia et negotia unanimiter componantur.

33. — Negotia missionis, cum sint omnia illa, quae ad propagationem fidei inter acatholicos et ad conservandam fidem inter conversos necessaria sunt, ad Superiorem ecclesiasticum exclusive pertinent. Ea praecipue sunt: 1) dare et specificare facultates cuique missionario ad sacra omnia obeunda; 2) determinare quae ad magisterium missionale pertinent, ut catechismorum et catechistarum institutio et approbatio, stabilire normas practicas pro admissione catechumenorum ad baptismum, neophytorum ad matrimonium, etc.; 3) ordinare quae referuntur ad officia ecclesiastica aut ad sacramentorum dispensationem; 4) erigere novas stationes, modificare alicuius stationis statum si necessitas postulet, aedificare ecclesias, sacella, varias domos piis operibus destinatas, instituere scholas easque dirigere; 5) invigilare disciplinae ecclesiasticae a missionariis observandae, ideoque

visitare per se vel per suos delegatos omnes stationes missionis, investigare, an in iis bonum sanctae religionis augeatur, an abusus fuerint introducti, an vita quotidiana missionariorum eorumque modus peragendi munia rite procedat; 6) administrare bona missionis eorumque redditus et a missionariis rationem exigere, ad normam Can. 296.

34. — *Negotia Congregationis* sunt ea omnia, quae ad regimen internum Congregationis et ad vitam regularem secundum Constitutiones spectant. Hinc ad Superiores religiosos inter alia pertinet: 1) exercitia communitatis ordinare eisque praesidere; 2) litteras a missionariis scriptas vel ad eos directas inspicere, ad norm. Cst. 118; 3) disciplinam communitatis et observantiam votorum et Constitutionum etiam extra domum promovere; 4) de officiis Congregationis disponere; 5) ea omnia praestare quae in Cst. 288 statuuntur; 6) visitare missionarios quae religiosos; 7) delinquentes in officiis vitae religiosae admonere, recidivos benigne prius, deinde graviter reprehendere, si non resipiscant, si fraternam unionem inter religiosos perturbant, vel aliis praebeant exemplum gravis negligentiae in disciplina regulari vel inobedientiae, etc.; 8) consilio prius inito cum Ordinario, vocare missionarios ad exercitia spi-

ritualia, singulis annis peragenda, sive in domo principali missionis sive in alia statione, ubi missionarii facilius coadunari possunt; 9) bona Congregationis administrare.

35. — Superiores religiosi, ad erigendam domum religiosam Congregationis, indigent licentia Ordinarii loci in scriptis data et insuper beneplacito S. Congr. de Propaganda Fide, ad normam Can. 497, 1.

36. — Ordinarius loci, in erigendis stationibus, domibus, institutionibusque, quibus nova onera imponuntur missionariis religiosis, debet antea cum Superiore regionali consilium inire.

37. — Superioris regionalis est omnes missionarios et fratres laicos Congregationis Ordinario loci ad officia vel stationes missionales praesentare; Ordinarii loci est eos acceptare et in officia instituere atque facultatibus sacri ministerii exercendi munire, ad normam Can. 295, 2.

38. — Cum pro bono missionis Superior ecclesiasticus in Domino iudicaverit transferendum esse aliquem missionarium ab una statione in aliam vel ab uno officio ad aliud, rem agat cum Superiore regionali.

39. — Item si Superior religiosus, audito, quantum fieri potest, suo Consilio, iudicaverit aliquem missionarium ratione valetudinis vel alia gravi de causa a munere vel a statione removen-

dum esse, rem agat cum Superiore ecclesiastico.

40. — In casu publici scandali, Superiori ecclesiastico licet missionarium a territorio missionis expellere, audito Consilio suo, et praemonito, quantum fieri potest, Superiore regionali, servato Can. 307.

41. — Religiosus in cura animarum non occupatus, a Superiore religioso libere a missione removeri potest, servato pariter Can. 307.

42. — Qui in officiis missionis occupati sunt, a Superiore religioso revocari possunt, tempestive monito Ordinario, et, si fieri potest, alio in eius loco praesentato.

43. — Superior regionalis, excepto casu necessitatis, in quo Consilium suum audire tenetur, propria auctoritate aliquem missionarium (vel fratrem laicum) ex missione non dimittat, sed habeat licentiam in scriptis datam respectivi Superioris maioris, servato Can. 307.

44. — Licentiam faciendi itinera, si sunt in favorem et cum expensis Congregationis, dat Superior religiosus; si sunt in favorem et cum expensis missionis, dat Superior ecclesiasticus; sed si agitur de longioribus itineribus, quae ultra hebdomadam protrahuntur, unus altero incon-sulto non agat.

45. — Si agitur de religioso Congregationis mu-

neribus exclusive addicto, Superior regionalis licentiam itineris longioris faciendi ei concedit, quin necesse sit Superiorem ecclesiasticum monere.

46. — Si inter mandatum in iis quae spectant ad Superiorem ecclesiasticum et mandatum in iis quae sunt Superioris religiosi, conflictus oritur, mandatum Superioris ecclesiastici semper praevalet. Manet tamen parti forsan laesae, recursus ad Sanctam Sedem, qui vero executionem mandati Superioris ecclesiastici non suspendit.

CAPUT V

De ipsis missionariis

47. — Missionarii primum terram missionis ingredientibus, a Superiore regionali vel eius delegato excipiantur (per quem Superiori ecclesiastico praesententur) et suas litteras obedientiales exhibeant.

48. — In singulis stationibus, generaliter tres vel duo saltem sodales Congregationis residere debent. In casu particulari autem, cum bonum missionis id omnino requirit nec possibilitas aliter agendi adest, Superior regionalis permittere potest, ut missionarius sacerdos, per aliquod tempus, solus aliquo in loco commoretur, dummodo non nimis distet a residentia alterius missionarii.

49. — Missionarii a sua residentia omnia arceant, quae decori sacerdotali, paupertati apostolicae et gravitati religiosae adversantur. In ea leges ecclesiasticas et praescripta Constitutionum circa clausuram sedulo observent; domesticos saeculares ne admittant, qui non sint maturae aetatis et tam fide quam vita et moribus integerrimi.

50. — In qualibet statione, Superior regionalis, audito suo Consilio, communitati missionariorum praeficit missionarium qui, tamquam suus delegatus et in dependentia ab ipso, est Superior religiosus communitatis, necnon et missionariorum qui eidem adscripti sunt. Nominatur ad nutum Superioris regionalis. Convenit ut, in quantum fieri potest, ipse rector stationis Superior religiosus renuntietur.

51. — Qui Superior et domum et religiosos suae curae commendatos, ad normam Constitutionum 287-291, regere et administrare debet ac sedulo attendere, ut omnes tam intra quam extra domum iuxta spiritum Congregationis vivant. Specialem curam habeat vitae spiritualis fratrum conversorum.

52. — In qualibet statione seu residentia, agenda erit vita communitatis iuxta Constitutiones et ordinem approbatum a Superiore regionali. Omnes vires adhibeant semper, ut in communi, etiam quando duo tantum adsint, fiant oratio

matutina, meditatio, examen particulare, oratio vespertina, spirituales collationes, recessus spiritualis menstruus aut annuus.

53. — Missionarii redeuntes in Europam directe e portu navigationis se conferent ad Procuratorem suae missionis, nisi aliter Superiores deliberaverint.

54. — Superiores missionariis concedere possunt ut, post reditum a Missione, per aliquod tempus apud suam familiam commorari possint. Durante hoc tempore, missionarii manent subditi Superiori Procurationis vel domus, a qua dependent. Ipsi ab eo requirent facultates necessarias et illi reddent rationem suae vitae.

55. — Ut quis manere possit ultra sex menses extra domos Congregationis, sive valetudinis causa, sive ob quamlibet aliam rationem, opus erit Indulto S. Sedis. (Cst. 117 § 2).

56. — Durante missionariorum commoratione in aliqua domo Congregationis, ipsi subduntur Superiori huius domus eodem titulo quo alia communitatis membra, quoad vitam communem, exercitium sancti ministerii et relationes cum extraneis in genere. Pro illis, quorum valetudo et peculiare occupationes poscant dispensationes habituales a Regulis, Superior localis rem aget cum Provinciali et Procuratore missionis.

57. — Missionarii nostri, sive qui resident in

domibus nostris sive qui extra commorantur, non poterunt absque licentia Superioris, ullum iter suscipere, neque conciones habere, neque collectas peragere in favorem missionum. Nihil typis edent absque facultatibus prius exquirendis. (Cst. 130).

58. — Pecunia et res collectae pro missionibus adhibendae erunt iuxta intentiones donatorum. Pro expensis hac occasione peractis, missionarii agent cum suo Procuratore.

PARS ALTERA

DE BONIS

CAPUT I

De bonis missionis in genere

59. — Bona ecclesiastica, in missionibus nostrae Congregationi concredit, dividuntur in bona missionis et in bona Congregationis.

60. — Bonorum missionis dominium habent:

1) Vicariatus vel Praefectura Apostolica vel Missio sui iuris.

2) Ipsae stationes missionis a Superiore ecclesiastico in quasi-paroecias erectae.

3) Scholae, seminaria, hospitia, orphanotrophia aliaque similia instituta ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, a Superiore ecclesiastico approbata.

4) Confraternitates et Uniones Piae a Superiore ecclesiastico per decretum erectae.

5) Foundationes piae proprie dictae, canonice constitutae.

61. — Bonorum autem Congregationis in missionibus dominium habent:

1) Congregatio ipsa qua talis.

2) Provinciae vel vice-provinciae qua tales.

3) Domus locales, canonice erectae. (Cst. 234).

62. — Bona missionis a bonis Congregationis sedulo separentur et etiam in ordine ad legem civilem, iuxta locorum et rerum adiuncta, in tuto ponantur.

63. — Ipsis missionariis nullum ius translationis bonorum aut pecuniae ab una statione ad alteram, vel ab uno opere ad aliud competit. Ideo missionarius, etiam in casu quo a Superiore ecclesiastico de una statione ad alteram transfertur, de bonis missionis sine expressa licentia Superioris ecclesiastici nihil secumferre, ne illud quidem, quod ipse ex donis benefactorum vel alio modo stationi procuraverit.

64. — « Exstincta persona morali ecclesiastica, eius bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis atque legibus peculiaribus quibus exstincta persona moralis regebatur ». (Can. 1501).

65. — « Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus servantur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur ». (Can. 1529).

CAPUT II

De distinctione bonorum

66. — Bona temporalia, de quibus in missionibus agendum est, triplicis speciei esse possunt:

1) alia sunt bona ipsius missionis ut talis plene Superiori ecclesiastico commissa, ab ipsoque immediate administranda.

2) Alia sunt bona, quae intuitu missionum in genere Congregationi sunt tradita, ab ea administranda et in utilitatem missionum ab ipsa Congregatione adhibenda. Si quae bona ex iis data fuerint intuitu peculiaris missionis, Superiori ecclesiastico rationes reddendae sunt de eorum administratione et usu.

3) Alia tandem sunt bona, quae plene ad Congregationem pertinent et ex libera determinatione Superiorum religiosorum utilitati missionis sunt addicta.

67. — Bona missionis sunt:

a) Possessiones immobiles, terrae, domus, ecclesiae, oratoria, coemeteria, scholae, nosocomia, orphanotrophia, pia legata, donationes et alia — sive immobilia sive mobilia — quae intuitu missionis erecta, acquisita vel donata sunt;

b) Item subsidia quaecumque missioni vel missionariis intuitu missionis collata, sive a particularibus personis, sive a societatibus aut institutis, vel etiam a civilibus guberniis;

c) Potissime vero eleemosynae et subsidia, quae praebentur a Ss. Congregationibus et ab Operibus Pontificiis in adiutorium missionum institutis, uti sunt Pontificium Opus a Fidei Propagatione, Opus S. Infantiae, Opus S. Petri Ap. pro clero indigeno etc.

68. — Bona vero Congregationis sunt:

a) Possessiones, domus et residentiae cum adnexis ecclesiis, sacellis et viridariis, ac alia opera atque instituta, quae sumptibus Congregationis erecta sunt, vel benefactorum ac piarum personarum largitione, missionariis nostris aut communitatibus, intuitu Congregationis vel religiosorum donata fuerunt;

b) Item bona mobilia: ut domorum supellectiles, utensilia, libri, vestes, ecclesiarum ornamenta ac lintheamina, et similia quae a religiosis vel a Congregatione providentur, aut a benefactoribus donantur missionariis, quae a religiosis;

c) Stipendia Missarum, iura stolae et subsidia, quae pro sustentatione missionariorum recipiuntur, sive a Superiore ecclesiastico, sive a

Congregatione, sive ex fidelium oblationibus, sive ex ecclesiarum proventibus sive forte ex Gubernii civilis adiutorio;

d) Eleemosynae, quae missionariis, quae a religiosis, obveniunt; necnon quae parce vivendo missionarii sibi reservant vel propria industria acquirunt. (Cst. 78).

CAPUT III

De sustentatione missionariorum et de expensis pro eorum itineribus

69. – Sustentatio omnium missionariorum, tam sacerdotum quam fratrum laicorum, quoad victum, vestitum, habitationem a Superiore ecclesiastico solvi debet ex missionis patrimonio.

70. – Domus vero religiosae canonice erectae, quae partem missionis non constituunt, et in genere omnia opera, quorum proprietas est penes Congregationem, ab ipsa Congregatione quoque sustentantur tum quoad aedificia tum quoad personas illic commorantes et operibus propriis Congregationis addictas.

71. – In particulari, quoad sustentationem missionariorum hae regulae servandae sunt:

1) Superior ecclesiasticus missionis tamquam administrator patrimonii, statutis temporibus,

Superiori religioso assignabit summam pecuniae ex utriusque consensu determinatam pro missionariorum sustentatione.

2) Superioris religiosi erit, hanc summam singulis missionariis sive in natura sive in pecunia distribuere, quantitatem minorem vel maiorem cuique attribuendo, pro cuiusque missionarii necessitate particulari.

3) Invigilet Superior religiosus, ne missionarii expendant pecuniam modo inutili vel pro cuiuslibet proprio libitu contra votum paupertatis.

72. – Expensas pro sustentatione et curatione missionariorum, qui, propter infirmitatem in missione contractam, extra missionem per aliquod tempus commorantur, suppeditabit Procurator missionis cuius sunt.

73. – Idem dicendum de missionariorum sustentatione, qui ad animi et corporis refectionem extra missionem versantur nec alicui domui inserviunt.

74. – Missionarii autem qui extra missionem alicui domui operam suam praestant, ab hac etiam sustentandi sunt pro toto tempore quo huic domui inserviunt. Expensas autem extraordinarias eo tempore ab eis tamquam missionariis vel ratione missionis faciendas solvet Procurator missionis cuius sunt.

75. – Congregatio Superiorem ecclesiasticum

in sustentandis missionariis libenter adiuvabit, praesertim si patrimonium missionis non sufficit.

76. – Quoad itinerum expensas haec statuuntur:

1) Itinerum expensas necnon requisita omnia pro novis missionariis tam sacerdotibus quam laicis suppeditabit Superior ecclesiasticus missionis cuius servitio addicti sunt.

2) Expensae eorum, quos quacumque ex causa domum redire contingit, solvit missio cui servierunt.

3) Expensae pro eis, qui ad aliud territorium transferuntur incumbunt missioni in cuius servitium transferuntur.

4) Expensae pro itinere eorum, qui ad munus aliquod obeundum mittuntur vel vocantur, ab eis solvuntur, cuius bono iter suscipitur.

5) Expensae pro reditu in missionem eorum, qui sanitatis vel refectionis causa in patriam redierunt, vel ad negotia missionis pertractanda venerunt, ab ipsa missione solvendae sunt.

6) Expensae pro itinere ad Capitulum generale vel provinciale, et, absoluto Capitulo, pro reditu in missionem, solvet ea provincia cuius est delegatus ipse missionarius.

7) Expensae ad annua exercitia spiritualia ab ipsa missione praestandae sunt.

8) Etiam in casu quo missionarius solo iussu

sui Superioris religiosi a sua statione removetur et ad alium locum mittitur, expensae itineris a missione solvendae sunt, nisi haec translatio fiat tantum ad bonum Congregationis.

CAPUT IV

De administratione bonorum

77. – Omnes qui in bonis ecclesiasticis occupati sunt, semper prae oculis habeant se nonnisi administratores esse, et ideo de his bonis minime iuxta liberam voluntatem, sed solummodo secundum intentionem offerentium et normas Iuris canonici disponere posse, rationem reddituri Deo.

78. – Superior ecclesiasticus missionis advigilat administrationi omnium bonorum, quae ad missionem spectant et pro opportunitate peculiari-
bus instructionibus providet.

79. – Ad hoc munus rite obeundum, Superior ecclesiasticus peculiare Consilium ex duobus vel pluribus viris sibi constituat, quos pro actibus maioris momenti audiat; huius Consilii votum est consultivum tantum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis foundationis eius consensus requiratur.

80. – Iuxta praescripta Superioris ecclesiastici, quasi-parochi vel rectores stationum administrant bona quasi-paroeciis vel stationibus adscripta.

81. – Licitum est missionariis eleemosynas, quas directe obtinent pro sua statione, pro scholis vel pio opere acceptare, administrare, et, secundum offerentium voluntatem sub dependentia Superioris ecclesiastici, erogare.

82. – Ius est Superiori ecclesiastico administrationem eleemosynarum pro ecclesia quasi-paroeciali vel pro statione construenda, conservanda vel exornanda sibi reservare.

83. – Nonnisi cum licentia sui Superioris religiosi missionarius impendere potest ea quae a Superiore ecclesiastico vel a benefactoribus accipit ad personales indigentias et necessitates.

84. – Praevia Superioris ecclesiastici licentia relate ad bona missionis omnino requiritur, si agitur de collocatione pecuniae, de expensis gravioribus et de alienatione bonorum missionis.

85. – Missionarii ad rationem Superiori ecclesiastico reddendam non solum de administratione bonorum quae ad dominium permanens missionis pertinent, obligantur, sed etiam de pecuniis aliisque rebus, quae ipsis a benefactoribus intuitu missionis ad manus obveniunt.

86. – Bona propria Congregationis in missionibus administrantur ad normam Constitutionum. Non tenentur administratores de istis bonis Superiori ecclesiastico rationem reddere.

CAPUT V

De Procuratore missionis

87. — Unaquaeque Provincia cui missiones concreditae sunt, habeat Procuratorem missionis.

Procurator missionis constituitur a Consilio provinciali, voto deliberativo, et confirmatur a Superiore generali. Nominatur ad triennium, quo elapso confirmari potest. (Cst. 266 § 1, 4^o).

Locus residentiae ipsi a Consilio provinciali assignatur.

88. — Pro missionibus « nullius provinciae » Procurator nominatur a Consilio generali (eodem modo ac provincialis), eique residentia a Consilio generali assignatur.

89. — Officium Procuratoris est:

1) Bona et in genere res pretio aestimabiles pro missionibus colligere, collectas administrare, iuxta donantium intentiones applicare et missionibus assignare.

2) Exsequi mandata Superiorum missionum, non vero missionariorum singulorum nisi licentia Superiorum in scriptis muniti sint.

3) Demum procurare pro viribus media missionibus necessaria.

90. — Procurator, quum non sit Superior, nullam habet potestatem in ipsos missionarios.

Suo munere fungitur sub dependentia sui Superioris Provincialis (vel Generalis). Sicut et ceteri religiosi pendet a Superiore domus in qua residet quoad omnia quae ad vitam communem et disciplinam regularem spectant.

Sine sui Superioris localis licentia non potest e domo exire nec itinera suscipere, etiam pro negotiis sui officii tractandis.

91. — Expensas pro missionariis extra missionem degentibus nec alicui domui inservientibus ipse Procurator suppeditare debet sub vigilantia Superiorum provincialis (vel Generalis) et localis.

92. — Missionarii ipsi Procuratori rationem reddere debent de expensis ab ipsis tamquam missionariis vel occasione missionis factis necnon et de donis quocumque modo pro missione acceptis.

93. — Procurator tenetur Superiori provinciali (vel generali) statutis temporibus rationem reddere de expensis et acceptis.

Statutis temporibus etiam rationem mittet Superioribus religiosis et ecclesiasticis illarum missionum pro quibus constitutus est.

94. — In distribuendis pecuniis pro missionibus Procurator his regitur normis:

a) Pecunias et bona pro certa missione vel statione vel determinato missionario ab ipsis do-

natoribus destinata, Procurator ut simplex executor mandati mittet stationi vel missionario.

b) Dona vero generaliter oblata « promissionibus » tradat Superiori Generali, ad huius arbitrium iuxta missionum necessitates eroganda.

95. — Procurator sub gravi tenetur habere tabularium bene ordinatum, in quo omnia documenta ad bonorum missionum administrationem spectantia diligenter custodiantur, ita ordinate disposita ut in casu necessitatis facillime dignosci queant.

SACRA CONGREGATIO
DE PROPAGANDA FIDE

2305/34

DECRETUM

Ut regimini Missionum Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu, iuxta locorum ac temporum adiuncta, opportune provideretur, Moderator Supremus eiusdem Instituti huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide « Statutum pro Missionibus » nuper subiecit approbandum.

Cum vero peculiaris Rev.morum Consultorum coetus omnia Statuti capita diligentissime considerasset eadem prudenter emendavit atque immutavit, iuxta textum qui huic Decreto subnec- titur.

Haec vero Sacra Congregatio, vi facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papa XI conlatarum, textum eundem ad experimentum, per praesens Decretum, ad septennium approbavit ac typis edi permisit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. Congr. de Prop. Fide, die 28 Maii a. D. 1934.

P. Card. FUMASONI-BIONDI, *Praefectus*
Carolus Salotti, Arch. tit. Philipp. *Secret.*

SACRA CONGREGATIO
DE PROPAGANDA FIDE

Prot. n. 5042/54

DECRETUM

Moderator Supremus Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu preces ad hoc Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando porrexit ut Statutum pro missionibus definitive approbaretur.


Hoc vero Sacrum Consilium, vi facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Pio Divina Providentia Papa XII tributarum, textum Statuti pro Missionibus, una tantum immutatione introducta, ut in exemplari, huic Decreto adnexo, per praesens Decretum definitiva ratione approbat ac typis edi permittit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 10 mensis decembris a. D. 1954.

P. Card. FUMASONI-BIONDI, *Praef.*

L. ✠ S.

† P. Sigismondi, *a Secr.*



INDEX CONSTITUTIONUM

PARS PRIMA

De natura Congregationis et de modo ad ipsam accedendi et in ea vivendi

	Pag.
Cap. I. De fine Congregationis . . .	5
» II. De spiritu amoris et immola- tionis	8
» III. De titulari et Sanctis Patronis Congregationis	9
» IV. De membris Congregationis .	10
» V. De habitu religioso	12
» VI. De admissione in Congrega- tionem	13
» VII. De postulatu	15
» VIII. De novitiatu	18
Art. I. De requisitis ut quis in novitiatum admittatur .	18
Art. II. De novitiorum insti- tutione	20
Art. III. De Magistro novi- tiorum	26

	Pag.
» IX. De professione religiosa . .	28
» X. De voto et virtute obedientiae	34
» XI. De voto et virtute castitatis .	36
» XII. De voto et virtute paupertatis	37
» XIII. De sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae	41
Art. I. De sacramento Poe- nitentiae	41
Art. II. De sanctissimo Eu- charistiae Sacramento . .	43
» XIV. De exercitiis pietatis	45
» XV. De mortificatione et poeni- tentiis	46
» XVI. De obligationibus et privile- giis	48
» XVII. De studiis	53
» XVIII. De sacris Ordinationibus . .	57
» XIX. De infirmis	60
» XX. De defunctis	62
Art. I. De funeribus . . .	62
Art. II. De suffragiis pro de- functis	63
» XXI. De egressu e Congregatione .	66
» XXII. De dimissione sodalium . . .	69

PARS ALTERA

De regimine Congregationis

	Pag.
Cap. I. De Superioribus	73
» II. De Capitulo generali	75
Art. I. De convocatione et membris Capituli	75
Art. II. De normis electionum	78
Art. III. De electione Super- rioris generalis	83
Art. IV. De electione Offi- cialium generalium	85
Art. V. De negotiis tractandis	86
» III. De Superiore generali	88
» IV. De Consilio generali	91
» V. De aliis Officialibus maioribus	96
» VI. De proprietate et administra- tione bonorum temporalium .	98
» VII. De Provinciis	104
Art. I. De diversis Congre- gationis divisionibus . . .	104
Art. II. De Capitulo provin- ciali	106
Art. III. De officio et pote- state Provincialis	110

	Pag.
Art. IV. De Consilio et Oecono- nomo provinciali	114
» VIII. De domibus earumque regimine	115
» IX. De obligatione Constitutionum	122

APPENDIX

Decretum Laudis (1888)	125
Decretum approbationis temporariae (1906)	128
Decretum approbationis definitivae (1923)	130
Decretum approbationis immutationum et additionum (1956)	132
Constitutiones relatae ad SS. Canones . .	133

INDEX

STATUTI PRO MISSIONIBUS

PARS PRIMA

De personis

Pag.

Cap. I.	De missionibus nostris in genere et de candidatis missionariis	141
» II.	Status canonicus missionum nostrarum. Iura Superiorum religiosorum relate ad missiones et missionarios	142
» III.	De Ordinariis loci vel Superioribus ecclesiasticis in missionibus nostris	146
» IV.	De mutua habitudine Superioris ecclesiastici et Superioris religiosi . .	147
» V.	De ipsis missionariis	152

PARS ALTERA

De bonis

Cap. I.	De bonis missionis in genere . . .	156
» II.	De distinctione bonorum	158
» III.	De sustentatione missionariorum et de expensis pro eorum itineribus	160
» IV.	De administratione bonorum . . .	163
» V.	De Procuratore missionis	165
Decretum approbationis temporariae (1934) . .		168
Decretum approbationis definitivae (1954) . .		169

